J W. 63262/B

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT


Accession Number

Press Mark

STENTZEL, C.G.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30510296



CHRIST. GODOFR. STENTZELII
TORGAVIENSIS
RTIS SALVTAR. ET PHILOSOPHIAE DOCTORIS
FACVLTATIS MEDICAE ASSESSORIS
ET CHIRVRGIAE IN ACADEMIA VITEMBER-
GENSI PROFESSORIS PVBLICI

MEDICINA
THEORETICO-PRACTICA
APHORISMIS
IN
VSVM AVDITORVM SVORVM
COMPREHENSA

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE
IPENSIS GOTTL. HENRICI SCHWARZII
M D CC XXXII.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

PERILLVSTRI
ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
DN. CHRISTIANO
DE LOSS
POTENTISSIMI SARMATARVM
REGIS AC PRINCIPIS
ELECTORIS SAXONIAE
IN
SVPREMO SENATV ECCLESIASTICO
QVI
DRESDAE FLORET
PRAESIDI

SACRI CVBICVLI REGII

COMITI PVRPVRATO

REGIAE AVLAE ET IVSTITIAE

CONSILIARIO

HEROI IN TOGA INCOMPARABILI

LITERARVM ET LITERATORVM

MAECENATI MAXIMO

DOMINO MEO PERINDVLGENT

PROSPERITATEM PERPETVAM!

DOMINE PERILLVSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIME

DOMINE GRATIOSISSIME

OFfero TIBI, DOMINE EXCELLENTISSIME, eas, quas in Auditorii mei emolumentum concinnaui, lucubrationes; TVAE, quam humillime imploro et flagito, tutelae, easdem ſumma animi deuotione, ac deuotisſima TVI EXCELLENTISSIMI NOMINIS ueneratione, pia ductus obſeruantia, conſecro. Diu anceps animi fui, atque

in ambiguo conſtitutus, quid agendum, difficulter inueni; Pietas gratique aemulatio animi debitum obſeruantiae monimentum urgebant; conquirebam omnia, nihil uero, quod Tanti conſpectu Herois dignum, inueniebam. Ac nunquam certe praeſentem perleuis libellum momenti Tvo Excellentissimo Nomini inſcribere auſus fuiſſem, niſi ſingularis Tva et diuina penitus Comitas et Gratia, qua ueros literarum cultores amplecteris, audaciae meae ueniam promi-

miſiſſet. Nec mea, nec cuiuſquam uis ingenii tanta, ut recluſis profuſiſque omnis eloquentiae riuulis, TVARVM Virtutum et meritorum magnitudinem aſſequi ualeat. Gaudio adhuc exultant Athenae noſtrae, de TVA, DOMINE EXCELLENTISSIME, praeſentia et Gratia, qua illis frui licuit, ſibi gratulantes. Omnes TVAM humanitatem, et facilem, afflictis praeſertim, ad TE aditum, praedicant; quiuis TVAM in ſuſcipiendis negotiis alacritatem, in continuandis ſedulitatem, in abſol-

uendis peritiam et prom-
ptitudinem ſuſpiciunt.
Te omnes a natura, a do-
ctrina, ab uſu eximium
profitentur. Plurimi ami-
cam uirtutum heroica-
rum, quae perilluſtre
TVVM Pectus obſident,
cum tanta et tam ſolida
eruditione coniunctio-
nem attoniti mirantur.
Iuſta horum omnium ad-
miratione et ueneratione
excitatus, praeſentem
quam diu cupidiſſime
exoptaui, occaſionem
publicum ſubmiſſae et TI-
BI totum deditae men-
tis monimentum conſti-
tuendi, arripui, certiſſi-
ma

ma lactatus ſpe, fore, ut quod Tibi, debita Tui Excellentissimi Nominis ueneratione offerre auſus ſum, beneuole accipias, et oculis gratiae plenis aſpicias. Ego uero omnis uoti compotem me praedicabo, ſi mihi permiſſum fuerit, in Tva Gratia Tvoque Praeſidio, Domine Perillvstris, conquieſcere. Quemadmodum uero, non poſtremum uotorum meorum eſt, ut Tv Domine Excellentissime cum Perillvstri Tva Domo, ab omni temporum iniuria tutus atque incolumis ſemper

maneas, ita nunquam non religioſi partes clientis deſeram, et praepotentem omnis proſperitatis ſtatorem continuis ſollicitabo precibus, ut PERILLVSTRIS TVA GENS in Te, tanquam optimo innixa fulcro ſarta tectaque perſiſtat.

PERILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI NOMINIS TVI

Vitembergae Die
XIII. Octobris
CIↃ IↃ CC XXXI.

deuotiſſimus
Cliens et Cultor
CHRIST. GODOFR. STENTZEL D.

PRAEFATIO.

AB eo tempore, quo artem medicam in hac Academia docere atque exercere incepi, hoc mihi ſemper curae cordique fuit, ut naturalem hominis ſtatum explicans, morborum, remediorum et methodi medendi rationem ſimul haberem. Quid enim exacta corporis humani notitia anatomica, niſi ad praxin applicata prodeſt? Ac nullum diſtinctum conceptum, de remediorum operatione, de morborum origine et progreſſu, machinae humanae cognitione deſtituti, nobis formare poſſumus. Adeoque in docenda pathologia ad anthropologiam ſimul recurrendum, atque in phyſiologiae explicatione ſemper ad praxin tranſeundum, et examinando, diſputando, diſcentium ingenia exercenda atque excitanda. Duodecim, et quod excurrit, anni iam praeterlapſi, per quos hanc in docendo methodum ſecutus lectionibus examina et diſputationes adiunxi. Praeſentes quoque aphoriſmi, tam priuatis, quam publicis diſputationibus, prius, quam typis imprime-

primerentur, ſaepius uentilati ſunt, ac praeſertim ſequentes nobiliſſimi Domini Commilitones, quorum animi dotes egregiae, et profectus, quos in Medicinae et Sapientiae ſtudio ſibi compararunt, praeſtantes ſunt, iam Reſpondentis, iam Diſſentientis munus obierunt.

I) M. WOLFGANGVS HANNIBAL LANGIVS.

II) M. CHRISTIANVS GOTTLOB IVNGNICCELIVS.

III) IO. GOTTHELFF ARNOLD. Loſuic. Miſn.

IV) IO. GODOFREDVS FRITSCHIVS Pirnenſ. Miſn.

V) IO. GODOFREDVS MVLLER, Herzberg. Sax.

VI) CAROLVS GOTTL. PORSCHBERGERVS, Neoſtad. Miſn.

VII) IO. LEONHARDVS WEICKHMANNVS, Dantiſcanus.

CAP.

PROLEGOMENA
DE
ORIGINE, INCREMENTO, SECTIS ET SVBSIDIIS MEDICINÆ.

I.

MEdicinae, quam DEVS in humanae ſolatium miſeriae, miſeris una cum condito mundo mortalibus largitus eſt, et artis, et ſcientiae, de ſanitatis conſeruatione et morborum curatione occupatae, nomen competit.

II. His in aprico poſitis, inuentae gloria Medicinae nec Api ſeu Serapi, uel Iſidi et Oro, ſecundum Herodotvm, Ciceronem et Macrobivm; nec Prometheo, ſecundum Aeschylvm; nec Paeoni, ſecundum Homervm; nec Mercurio, ſecundum Diodorvm Sicvlvm; nec Hermeti, uel Aeſculapio, aut Chironi Centauro, aut Machaoni, ſecundum alios, attribuenda.

III. Minime tamen diſſimulandum, quod Medicina primis temporibus, haud eam, quam nunc habet, obtinuerit formam; ea

enim, ut Seneca loquitur, quondam paucarum herbarum ſcientia fuit, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, uulnera coirent paulatim: quae deinde peruenit in hanc multiplicem uarietatem.

IV. Illa autem multiplex uarietas tum in morborum multitudine, tum remediorum farragine conſiſtit; neglecta enim prioris aeui ſobrietate, magis magisque ſolidorum et fluidorum bona diſpoſitio inuertebatur, unde diſcrepantis morbi indolis, qui uaria doloris ſpecie, homines ad quaerenda infirmitatibus auxilia compellebant, quae nunc caſus, nunc ratiocinium a ſimili, iam implorata oracula, iam incubatio in fanis Deorum, modo ſomnia, modo ab his omnibus deſumta experimenta ſuppeditabant.

V. Primum itaque praecipuumque Artis ſalutaris fundamentum, quod illius promouit incrementum, experientia fuit, quae inuentis uariis uario modo remediis, non tamen in quouis morbo ſufficientibus, rationem ſimul conſulendam eſſe, demonſtrauit.

VI. Maxime ſeduli uero in conquirendis experimentis medicis fuerunt Aegyptii, illique in arte ſalutari ſolidius excolenda, ſecundum Herodoti teſtimonium maximam impenderunt operam, atque idem Gryllus apud Plutarchum confirmat ſequentibus uſus: *τοὺς μὲν, Αἰγυπτίους πάντας ἰατροὺς ἀκούομεν εἶναι.*

VII.

VII. Ab Aegyptiis ſolidior Medicinae cultura ad Graecos deducta noua accepit incrementa, quae maximam partem Hippocrati debemus. A Graecis, patria eorum deſolata, ad Arabes, Italos, Romanos, Gallos, aliasque gentes tranſiit.

VIII. Vti autem inter ſe diſcrepant ſtudia atque hominum ingenia, uel libere iudicantia, aut praeconceptis occupata opinionibus, ita eosdem in uarias partes abire, uariasque ſententias parere, obſeruamus, unde tot et tam diuerſae ſectae ortum ducunt; quod pariter arti ſalutari euenit.

IX. Inter omnes ſectas, empirica reliquarum antiquiſſima et prima, primo loco commemoranda, quae ſolis experimentis innitebatur, et neceſſitatem, Autorem agnoſcebat; alias huius ſectae origo Acroni Agrigentino, Philino et Serapioni attribuitur, qui tamen magis cultores, quam inuentores huius ſcholae fuerunt.

X. Empiricam ſectam ſecuta ſchola dogmatica ſeu rationalis, Hippocrati Coo in acceptum referenda, qui experientiam cum ratione coniungens, unitis ad ſanitatis tutelam et morborum curam, uiribus utebatur; cui deinceps Herophilvs, Diocles Carystivs et Galenvs, ſuccedentes, artis, quod ab Hippocrate acceperunt, ſyſtema, magis illuſtrare allaborarunt.

XI. Has duas ſectas, empiricam ſcilicet et dogmaticam, Platonis tempore ſolummodo notas fuiſſe, patet ex libro eiusdem quarto de legibus ſub finem, ubi, quale inter has ſectas et illarum cultores ſit diſcrimen, pereleganter deſcribit.

XII. Tertia autem ſecta, Platoni ignota, Celſi tempore iam caput extulerat, quae methodica appellabatur; Asclepiades enim et huius ueſtigiis inſiſtens Themison, Hippocraticam Medicinae formam nimis ambagioſam rati, compendioſam, tam ad diſcendam et docendam, quam ad exercendam Medicinam, uiam quaerebant, et nouam methodum diſcendi, docendi et exercendi artem ſalutarem, commendabant.

XIII. Methodus iſta trium ſequentium praeceptorum cognitione, quae pro totius Medicinae fundamento habebant, innitebatur: I. Omne laxum ſtringendum. II. Omne ſtrictum laxandum. III. Medium, quod magis urget, tollendum.

XIV. Ita inter ſe diſſenſerunt ueteres, minor adhuc inter recentiores conſenſus obſeruatur; tot enim et tam multae inter Medicos ſectae hodie excoluntur, ut easdem uix enumerare ualeamus; Chymicis enim fauent alii, alii Mathematicis; multi Stahlianae praeiudicio doctrinae occupati tenentur, multi Sanctorii ſtaterae atque illius experimentis addicti ſunt; ſal alcali atque acidum Ta-

chenii

chenii probant alii, alii horum loco, ſal, ſulphur, mercurium, terram et aquam afferunt; et tot certe diuerſa theoremata, tot diuerſae ſectae et ſcholae medicae, quot Doctores et Profeſſores huius artis inueniuntur.

XV. Inter recentiorum ſectas primo loco commemoranda ſchola chymica, ſpagyrica et Hermetica dicta, cuius cultores ſe Philoſophos per ignem, atque adeptos, auiculam nempe Hermetis, appellant, hoc utentes axiomate: ſolue et coagula. Praeterea huius ſectae fautores ignem pro genuino omnium corporum analyſta habent.

XVI. Ex eadem Chymicorum ſchola multae aliae ſectae prodierunt; cum Baſilium Valentinum ſequantur alii, alii Paracelſo faueant; hi Helmontium laudent, illi Tachenium extollant; et multi cum Williſio ſentiant, multi e contra ab eodem diſſentientes ad Syluii caſtra tranſeant.

XVII. Hermetem triſmegiſtum, quis etiam ille fuerit, nec non Moſem habuiſſe Chymiae notitiam, tum ſcripta, tum experimenta eorum teſtantur, an uero iidem huius artis fuerint inuentores adhuc in abſtruſo latet.

XVIII. Multo minus Tubalcaino, octauo ab Adamo homini inuentionem et primam huius artis culturam tribuere poſſum, peritia enim parandi ex aere et ferro inſtrumenta, qua idem, teſte Moſe, inſtructus fuit, ad Chymiae culturam haud ſufficit. Nec Scalige-

gervs, Bochartvs et Vossivs hanc ſententiam omni ſcrupulo liberant, aſſerentes: Tubalcainum, gentilium fuiſſe Vulcanum; תובלקין enim, pergunt illi, habere literas ſeruiles יות, quibus abiectis, punctisque mutatis, et mutato B in V, additaque latina terminatione, Vulcanus emergere, qui, ut refert Diodorvs Sicvlvs, totam artem praeparandi metalla inueniſſe dicitur.

XIX. Altum diu de Chymicis fuit ſilentium, ita, ut nulla eorum mentio, nullaque penitus veſtigia apud Sanchoniathonem, Orphaevm, Homervm, Hesiodvm, Herodotvm, Thvcididem, aliosque Hiſtoriographos occurrant; donec tandem, tum quinto, tum ſexto et ſequentibus ſeculis, huius artis fama Zozimvs Parthenopolitanvs, Sincervs Olympiodorvs, Stephanvs, Philo, Alexander, Gaservs, Gregorivs Syncellvs, Geber Arabs, Albertvs Magnvs, Rogerivs Baco, Raymvndvs Lvllivs, Arnoldvs *de Villa noua*, Georgivs Replevs, Ioannes *de rupe ſciſſa*, Ioannes et Isaacvs Hollandvs, pater et filius, noti inclaruerint.

XX. Hos excepit Basilivs Valentinvs, Monachus Sueuus, ordinis Benedictini, qui anno 1415 et ſic centum ante Paracelſum, Lutherum atque Eraſmum annos uixit,

uixit, ac docuit, omnes res ex anima, ſpiritu et corpore conſtare.

XXI. Baſilio Valentino ſucceſſit celebris ille Chymicus Philippvs Avreolvs Theophrastvs Paracelsvs Bombast *ab* Hoenheym, qui retinens Valentini principia, nomina duntaxat immutauit, ſpiritum, mercurii, animam, ſulphuris, corpus uero, ſalis nomine inſigniendo. Idem praeterea hominibus longaeuitatem ope elixirii ſui azoth dicti acquirendam promittebat, ſed inanis illa gloria, breui, una cum ipſo Paracelſo uitam cum morte anno aetatis quadrageſimo ſeptimo commutante euaneſcebat.

XXII. Poſt hunc inter Chymicos notatu dignus Helmontivs, qui unicum omnium rerum principium ſtatuit, aquam ſcilicet, perhibens, ſe aquam primaeuam, alcaheſt, quaſi allgeiſt, dictam, poſſidere, cuius ope omnia corpora in ſua prima principia reſoluere poſſit; aſt idem ditiſſimus in promittendo, pauperrimus uero in ſeruando fuit.

XXIII. Veſtigiis Paracelſi Thomas Willis inhaeſit partim, partim eadem deſeruit, tria enim Paracelſi principia ſal, ſulphur et mercurium retinens eadem actiua appellabat, iisque tanquam minus ſufficientibus, duo paſſiua, terram atque aquam addebat.

XXIV. Superiori ſeculo Otto Tachenivs duo omnium rerum principia, ſal alcali atque acidum eſſe, docuit, atque ab iisdem

dem formalem tum ſanitatis, tum morborum et uirtutis remediorum rationem deducere uoluit, quem deinde Svalve et Franciscvs *de le* Boe Sylvivs ſecuti ſunt, qui hodie Acidiſtae uocantur.

XXV. Praeter allegatas, nota etiam eſt Medicina Statica, quae Autorem habet Sanctorivm Sanctorivm, Italum, qui triginta annorum lucubrationibus eandem confecit, tradens methodum, ſtaterae adiumento actiones uitales et legitimam earum directionem, cumprimis uim tranſpirationis, explorandi et demonſtrandi.

XXVI. Hodie duae praeſertim ſectae prae aliis in pretio ſunt, dogmatico-mechanica nempe, et dogmatico-electiua Stahliana, quibus ab aliis adhuc tertia, ſcilicet dogmatico-chymico-mechanica additur.

XXVII. Secta Stahliana, cuius autor Stahlivs Archiater Regis Poruſſiae celebratur, cauſam proximam et fundamentum ſanitatis et morborum animae in corpus imperium, et huius prudentiam humanae actionibus machinae proſpicientem, conſtituit.

XXVIII. E contra Dogmatico-Mechanici, quorum anteſignanus eſt Cartesivs, ab anima ſolummodo immateriales actiones: intellectum et uoluntatem deducentes, reliquas, automaticas dictas, a mathematica partium ſtructura et connexione deducunt, ubi

ad explicandam ſolidorum et fluidorum indolem ac qualitates, Phyſica, Chymia, Matheſis, Anatomia ſimul conſulenda.

XXIX. Quoniam uero omnes ſectae multis ſcatent praeiudiciis, optimum factu iudico, ſi in nullius uerba iuramus, nullique addicti ſectae optima quaeque ex optimis autoribus ſeligimus, atque inania otioſorum ingeniorum commenta negligimus.

XXX. Viis itaque deuiis derelictis, ad ipſam artis ſalutaris diuiſionem progredimur, quae duplicis generis eſt, alii enim cum ueteribus Medicinam in partes principes et miniſtras, alii uero cum recentioribus in theoreticas et practicas eandem diſtinguunt.

XXXI. Praeferenda antiquorum diſtinctio recentiorum diſtributioni; illi uero per miniſtras eas intelligunt partes, quae ſuum ſymbolum, tam ad ſanitatis conſeruationem, quam ad morborum curationem contribuunt, non autem eundem in ſpecie finem habent, tales ſunt, Phyſiologia, Anatomia, Pathologia generalis, Semiologia, Pharmacia, Chymia et Materia medica.

XXXII. Partes principes in duas claſſes diuiduntur, nimirum ὑγιεινὴν et θεραπευτικὴν. quarum altera methodus praeſeruatoria dicta in ſanitate praeſente tuenda eſt occupata altera uero methodus curatoria appellata de morbis curandis eſt ſollicita.

XXXIII. Ipſa autem methodus curatoria iterum in praxin internam, ſeu medicam κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictam, in externam, ſeu chirurgicam, et denique in forenſem diſtinguitur.

XXXIV. Haec, quae tenus hac adducta, ſatis ſuperque demonſtrant, Medicinam plurium artium, ſcientiarum et diſciplinarum eſſe congeriem, quae nobis ſalubrium atque inſalubrium notitiam ſuppeditant, et genuinum eorum, ad ſanitatem tuendam et morbos curandos, uſum edocent; ad Medicinam itaque rite excolendam maxima ſedulitas, promta tenaxque memoria, alacre ingenium atque acre iudicium requiruntur.

XXXV. Omnis hac de cauſa prolixitas, in docendo diſcendoque Medicinam, repudianda, et praecepta medica aphoriſmis mandanda, qui utilia et neceſſaria tantum complectuntur, atque experientia et ratione ſuffulti ad ſcopum rite obtinendum ſufficiunt.

XXXVI. Per experientiam uero non remediorum farraginem atque eorum notitiam, ſed ſolidiorum obſeruationum magna ſedulitate notatarum collectionem, quae integram morbi hiſtoriam cum omnibus ad rem pertinentibus circumſtantiis, uaria cumprimis remediorum operatione complectuntur, intelligo.

XXXVII. Ratio autem hic non tam rectum Medici iudicium, ſiue ſubactam bene concludendi facultatem, quae utique ad elicien-

dam

dam ueritatem ſemper deſideratur, quam potius ueram et realem, non nominalem, quae Scholaſticorum eſt, theoriam medicam, ſeu intimam atque exactam partium theoreticarum cognitionem denotat.

XXXVIII. Eſt autem ſolidae character theoriae, ſi quis nudis ſpeculationibus non inhaeret, ſed theoremata Praxi accommodat, quod fit, ſi quis hiſtorias morborum, quoad omnes circumſtantias, cumprimis quoad originem ac formalitatem cauſae rite ac debito ordine euoluere, explicare, indicationem formare, atque utiliſſimas in praxi conclusiones exinde deriuare, et adaequatum conſilium medicum dare poteſt. Quo itaque hocce perficere queamus, non modo ſtatum hominis naturalem, ſecundum anatomica, chymica et mechanica principia explicabimus, ſed tranſitum quoque ad ſtatum praeternaturalem et remediorum ſpecificorum cognitionem ſuſcipiemus.

Capvt I.

DE HOMINE HVIVSQVE PHYSIOLOGICA ET PATHOLOGICA DISTRIBVTIONE.

I.

Illa Medicinae pars theoretica ſeu miniſtra, quae naturalem hominis ſani ſtatum de-

deſcribit, et huius partes ac functiones ex
minat Anthropologia uel Phyſiologia m
dica dicitur.

II. Altera huic oppoſita eſt Pathologi
quae morbos, eorum cauſas, indolem, o
ginem, ſigna et curam, uel in genere, aut
ſpecie explicat, unde eadem in generalem
ſpecialem diuiditur.

III. Vtriusque autem, tum Phyſiologia
tum Pathologiae obiectum eſt homo, ia
natus naſcendusque, et quidem iſta circa h
minem naturaliter conſtitutum, haec ue
circa aegrotum eſt occupata.

IV. Homo uero operum diuinorum a
ſolutiſſimum duplici parte eſſentiali, anim
et corpore conſtat. Exulat itaque tertia pa
eſſentialis, quam nonnulli falſo ſibi per ſu
ſtantiam mediae inter materiale atque imm
teriale naturae concipiunt.

V. Eadem ſententia de anima uegetatiu
ferenda; nec ſenſitiua a rationali diſtinguer
da; uti enim ſola ſentit anima ſenſumqu
diſcernit, ita idem, quod a uegetatiua uete
res deducebant, mechanicae atque artificio
ſae partium diſpoſitioni attribuendum.

VI. Eſt uero anima ſubſtantia immateria
lis, cogitans, intelligens et finita.

VII. E contra corpus humanum eſt ma
china artificioſiſſima e partibus ſolidis et flu
dis proportionate inter ſe mixtis et conſo
ciati

ciatis fabricata, faciem glabram et tres uentres ſurſum erectos cum annexis brachiis et pedibus exhibens.

IIX. Perpetuum atque intimum inter has natura diuerſas ſubſtantias tum in ſano, tum morboſo ſtatu commercium intercedit, ita, ut certas cogitationes mentis certi et determinati motus corporis ſequantur, et uice uerſa certi motus corporis certas perceptiones et cogitationes pariant.

IX. Ex his quotidie animaduertimus, mentem arctiſſime cum corpore eſſe coniunctam, quodnam autem illius ſit uinculum in obſcuro adhuc latet; quanquam enim ſciamus, mentem, ope neruorum et liquidi in illis contenti, toti corpori eſſe praeſentem, non tamen idem pro uinculo habendum, cum ignotus ſit modus, quo dictus liquor omnino materialis, mentem ſubſtantiam immaterialem cum corpore coniungere poſſit.

X. Maximis quoque difficultatibus intricata eſt ſententia de ſede animae, quam in centro ouali ſeu meditullio cerebri collocant recentiores; cum enim anima ſit ſubſtantia immaterialis, haud perſpicio, quomodo certo loco poſſit incarcerari; cui accedit, quod homines ſine cerebro nati fuerint, et nonnulli, cerebri ſubſtantia penitus conſumta, uixerint.

XI. Maior adhuc difficultas circa animae propagationem occurrit, quam uero, cum eidem

eidem enodandae haud ſimus pares, aliis r
linquimus; de nouo enim easdem genera
negant plurimi; per traducem easdem prop
gari, rationi haud analogum; easdem ia
creatas in certo loco aſſeruari, atque in ip
conceptione embryoni communicari, rid
culum.

XII. Harum duarum eſſentialium hom
nis partium examen, nos ad generalem mo
borum in duas claſſes, diſtributionem ded
cit, quorum alii ad mentem, ad corpus al
referendi.

XIII. Mentis morbi atque affectus uel n
mis accelerando, aut retardando, uel pen
tus ſufflaminando, atque inaequaliter mo
uendo liquorem neruoſum, machinae iniu
riam inferunt.

XIV. Agnoſcunt autem pathemata men
tis nunc cauſas morales, nunc phyſicas, qua
probe, ad conuenientem illis medelam prae
ſcribendam, diſtinguendae atque indagan
dae; mentis enim morbi, qui a moralibu
cauſis ortum ducunt, idiopathici dicendi
ac remediis ex ethica petitis curandi; ea uero
animi pathemata, quae corpus male affe
ctum ſequuntur, ſympathica appellanda, at
que extirpatione uitii corporis tollenda.

XV. Morbi uero ad totum pertinentes
corpus, uniuerſales dicuntur, interque illos
febris ordinem ducit, quae in continuam at
que intermittentem diuiditur, et nunc bre
uis.

tuis, nunc chronica; iam benigna, iam maligna; modo contagioſa, modo non contagioſa; nunc idiopathica, nunc ſympathica; iam uernalis, iam autumnalis eſt, de quibus plura in ſequentibus dicemus.

CAPVT II.

DE CORPORE HVMANO IN GENERE.

I.

MAchina humana e ſolidis et fluidis compoſita partibus, quas continentes et contentas appellabat Hippocrates, iisque adhuc impetum facientes addebat, diuerſas oculis noſtris cauitates, ac contenta in illis uiſcera, cum annexis membris, ſiſtit.

II. Totum autem corpus humanum in truncum atque artus diuiditur; truncum uero tota ſolidae compages machinae conſtituit, reſectis membris, quae uentribus adnata atque articulis diſtincta, brachia et crura dicuntur.

III. Truncus diuerſas partes tum interne, tum externe ſcrutantis examini ſiſtit, quae tamen omnes ad tres regiones ſeu uentres, ſecundum pleroſque, uel ad quatuor, ſecundum HEISTERVM, referendae.

IV. Haec trunci diuiſio ſedulo quoque in diſtinguendis morbis ſpecialibus obſeruatur, ita,

ita, ut primum capitis, deinceps thoracis, de-
nique abdominis, tandem artuum morb
exponendi ſint.

V. Primus ſeu ſupremus uenter, capu
dictus, atque in partem capillatam et non ca
pillatam, nec non in ſinciput, occiput, tem
pora et uerticem diſtinctus, cranio, tanquan
oſſeo muro, cerebrum tribus comprehen
ſum membranis, una cum neruorum prin
cipio continet.

VI. Morbus capitis frequentiſſimus eſt κε
φαλαλγία, quae uel interna, uel externa; re
cens, aut inueterata; uniuerſalis, aut particu
laris; idiopathica, aut ſympathica; perio-
dica, aut uaga; continua, uel intermittens
leuior, aut grauior exiſtit.

VII. Capiti adiunctum eſt collum, quod pro
quarta cauitate habet Heistervs, alii uero tho
racis partibus, tanquam illius appendicem, an
numerant, in quo iugulum, pomum Adami
et ceruix occurrunt; in iugulo imprimis no
tari merentur arteriae carotides uenaeque
iugulares, in ceruice uero ſpinalis medulla
per colli deſcendens uertebras in ſpinam
dorſi, et neruos membris communicans
Pomum autem Adami larynx ſeu aſperae ca
put arteriae conſtituit, poſtquam gula a fau
cibus principio ampliore, quod pharynx
uocatur, incipiens iuxta longitudinem uer-
tebrarum colli et dorſi per thoracem ad uen-
triculum abit.

VIII

VIII. Cum uero in collo uarii generis glandulae uaſaque ſint diſpoſita, partem illam frequenter tumoribus uariique generis inflammationibus tentari, obſeruamus, inter quas angina, ſi uera fuerit, maxime periculoſa, ſpuria uero facilius medelam admittit.

IX. Venter ſecundus, thorax appellatur, atque in partem anteriorem, ſeu pectus, et poſteriorem, ſiue dorſum diſpeſcitur, ſuperius clauiculis, inferius diaphragmate, utrinque coſtis, parte antica ſterno, poſtica ſcapulis ac uertebris dorſi circumſcribitur, atque intus pleura ueſtitur, et cor cum pericardio in mediis pulmonibus, itemque initium uaſorum ſanguineorum, ductum thoracicum, mediaſtinum, thymum, partemque oeſophagi et aſperae arteriae continet.

X. Ex multitudine partium hanc cauitatem efformantium, ex praeſtantia uiſcerum in eadem incluſorum, ſatis conſtat, quanta cura, ad bonam illorum conſtitutionem conſeruandam, atque ad morbos curandos, ſit neceſſaria. Praecipue autem pulmonum cordisque habenda ratio, quae nunc propria, nunc aliena culpa, uaria incommoda patiuntur; inter quae catarrhus ſuffocatiuus, ſuffarctus pulmonalis, aſthma, empyema, haemoptyſis, pleuritis, peripneumonia, tuſſis, ſcirrhus, hydrops, cordis polypus, palpitatio, ſyncope, ſpaſmus, nimia contractio, nimia dilatatio, hydrocardia et defectus pericardii,

 com-

commemoranda; quibus addendus nouus morbus oeſophagi, cuius RVYSCHIVS *Dec. I Aduerſ. Anat. obſ. 10.* facit mentionem; nec non oeſophagi per medium diſruptio, quam BOERHAVE *in atrocis nec prius deſcripti morbi hiſtoria Lugduni Batauorum ao. 1724.* edita, cum omnibus circumſtantiis communicauit.

XI. Venter tertius atque infimus, quem abdomen uocant Anatomici, ſuperius cartilagine enſiformi ac diaphragmate, utrinque a latere coſtis ſpuriis, poſterius atque inferius uertebris lumborum et oſſibus coxendicis, ſacro et pubis circumſcribitur, et uentriculum cum inteſtinis, meſenterio, uaſis lacteis, receptaculo chyli, et omento, hepar cum ueſicula fellea, lienem, pancreas, renes ueros et ſuccenturiatos cum ureteribus, ueſica urinaria et organis genitalibus internis complectitur.

XII. Allegatae, quae abdomen conſtituunt, idemque occupant partes, non uariis modo morbis, ob implicatum uaſorum nexum, ſaepe laborant, ſed eaedem quoque male conſtitutae ictero, febribus, hydropi et tabi anſam praebent; non tamen in uno alteroque uiſcere affecto uniuerſalis morborum cauſa, uti fecit SYLVIVS, quaerenda.

XIII. Totum abdomen, ob diuerſas in eodem contentas partes, in regionem epigaſtricam, umbilicalem, hypogaſtricam, hypochondria, ilia, lumbos, pubem atque inguina diuiditur.

XIV.

XIV. Epigaſtrium ſeu regio epigaſtrica, quae a ſcrobiculo cordis usque ad regionem mediam, umbilicalem dictam, ſe extendit, uentriculum ac praecipue partem illius dextram cum pyloro in ſinu ſuo fouet.

XV. Obſeruamus hac ratione, uentriculo affecto, et dolorem et tumorem in regione epigaſtrica, unde quoque illi, in tali ſtatu, ſic dicta ſcuta atque emplaſtra ſtomachica applicanda.

XVI. Epigaſtrii latera, coſtarum ſpuriarum cartilaginibus infimis finitima, hypochondria dicuntur, atque in dextrum et ſiniſtrum diſtinguuntur; in dextro hepar cum ueſicula fellea, diaphragmati ope ligamenti lati ſuſpenſorii annexum; in ſiniſtro, et quidem parte ipſius ſuperiore et poſteriore lien, cauitate uero illius reliqua maiore, uentriculus ac cumprimis illius pars ſiniſtra, cum orificio, quod καρδία dicebatur, reperiuntur.

XVII. Ab hypochondriis malum hypochondriacum nomen habet, quod hodie non modo omnium abdominis partes afficientium, ſed multorum aliorum morborum genus conſtituit, et merito inter aſyla ignorantiae refertur.

XVIII. Epigaſtrio regio umbilicalis ſuccedit, quae duos ſupra umbilicum digitos initium habet, duosque infra eundem deſinit, atque in utroque latere ilia exhibet, et praeter

inteſtinum duodenum, ileum in ſpecie con-
tinet.

XIX. In illa regione dolor tum colicus
tum iliacus ſentitur, quorum ille magis ua-
gus, hic uero magis fixus exiſtit.

XX. Partes poſteriores infra hypochon-
dria ſitae, iliis oppoſitae, lumbi appellantur
illique renibus ſub ſe latentibus defenſionem
praebent.

XXI. Ob uicinitatem et intimum, quod
inter renes et muſculos lumbares intercedit
commercium, morbi renum lumbos in con-
ſenſum trahunt, et uice uerſa, lumborum in-
firmitas diuerſa in renibus incommoda ex-
citat.

XXII. Regio hypogaſtrica duos infra um-
bilicum digitos incipit, atque ad pubem us-
que progreditur; pars enim infima, quae im-
mediate ſupra genitalia utriusque ſexus re-
peritur, pubes, illiusque latera in flexura fe-
moris, et quidem parte anteriore, inguina
dicuntur.

XXIII. Vti uero mediam abdominis re-
gionem inteſtina, imprimis tenuia, ita circum-
ferentiam eorum et regionem hypogaſtri-
cam, ueſica urinaria, uterus et inteſtina craſ-
ſa occupant, quorum quippe capaciſſimum
colon dictum, circa os ilium dextrum inci-
pit, proximoque reni ibidem ſe iungens
hinc ſurſum aſſurgit, et facto ſub iecore fle-
xu

xu, transuerſim ſub fundo uentriculi, qui ei incumbit, ad partem hypochondrii ſiniſtri inferiorem pergit, ibique lieni renique ſiniſtro, tenuibus membranis adhaerens incuruatur, et flexu anguſtiore, circa os ileum ſiniſtrum, in rectum inteſtinum abit.

XXIV. Ex ipſo inteſtini coli ſitu, ex ambagioſo illius tractu, ex connexione cum diuerſis partibus, ſatis conſtat, cur paſſio hyſterica, colica, iliaca, et nephritis tam frequenter inter ſe confundantur, atque alter alterum excitet morbum.

XXV. Expoſitis iam cauitatibus truncum conſtituentibus, artus quoque, qui in ſuperiores atque inferiores diſtinguuntur, conſiderandi; in ſuperioribus ſequentes partes occurrunt: humerus, axilla, ala, brachium, cubitus, carpus, metacarpus, uola et dorſum manus, digiti; in inferioribus, femur, genu, crus ſiue tibia, malleoli, tarſus, metatarſus, planta et digiti.

XXVI. Intra iuncturas harum partium, ſic dictae glandulae mucilaginoſae, quas Haverum in noua ſua oſteologia primum deterxiſſe dicunt, locatae ſunt, quae ſedem morbi articularis et ſpecierum illius, podagrae, chiragrae, iſchiagrae, conſtituunt.

XXVII. Anatomicae corporis humani diſtinctioni adiungenda quoque phyſiologica in ſolidas et fluidas partes, diuiſio.

XXIIX. Solidae, ſunt muſculi, membranae, oſſa, nerui, cartilagines, tendines, glandulae, arteriae, uenae, uaſa limphatica, lactea, pili, ungues, ueſicae, uiſcera, aliaque plura; quorum ratio formalis in mutuo contactu et quiete ad ſenſum noſtrum conſiſtit.

XXIX. Fluidae e contra partes ſunt, quarum ratio formalis in ſumma tenuitate, mutuo a ſe inuicem receſſu atque agitatione conſiſtit, tales ſunt, ſanguis, ſucci e ſanguine ſecreti, tam utiles, quam inutiles, et denique chylus.

XXX. In ſolidarum uitiis explicandis et curandis optima ſunt Methodicorum principia, eorum enim morbi in nimia laxitate et rigiditate conſiſtunt; rigiditas atque ariditas emollientia interna atque externa, qualia ex malua, althaea, lactuca, uerbaſco, melilotto, uiolis et foenu graeco parari poſſunt, deſiderat; ad laxitatis uero medelam, euacuantia, reſoluentia atque adſtringentia, inter quae rhabarbarum, huius eſſentia, azoth Paracelſi, ac uitriolica et martialia eminent, requiruntur.

XXXI. Adhuc plures morborum, qui ſolidas partes in ſpecie afficiunt, ſi ad Chirurgiam reſpicimus, ſpecies conſtituendae, quales ſunt, uulnera, fracturae, fiſſurae, luxationes, contuſiones, tumores, ulcera, etc.

XXXII. His alii annumerant naturae errores et luſus, ubi uel pars deficit, uel abun-

dat, eosque, morbos in numero dicunt, u. g. *ἑξαδάκτυλος, τετραδάκτυλος, τρίορχος, μόνορχος,* cum uero tali partium conſtitutione praediti nullum exinde incommodum ſentiant, nullumque in actionibus defectum, non perſpicere queo, quomodo, cum eſſentialia morbi ſigna deſint, hos naturae luſus ad morborum catalogum referre queamus.

XXXIII. In examine infirmitatum, quarum origo et cauſa a ſuccis ſeu fluidis partibus deriuanda, praecipue chyli, ſanguinis et ſuccorum e ſanguine ſecretorum habenda ratio, unde fluidorum morbi, nunc a chyli, nunc a ſanguinis, nunc ab urinae, et reliquorum liquorum uitio deriuandi.

XXXIV. Vti autem morbi in ſolidis partibus haerentes ab antiquis Medicis organici, ita illi, qui a ſuccis dependebant, humorales uocabantur. Omnia uero partium fluidarum uitia, in laeſa quantitate, qualitate et motu conſiſtunt.

XXXV. In laeſa quantitate expendendus uel ſuccorum defectus, uel exceſſus; exceſſus, aut a ſuppreſſis ſecretionibus ſolennibus, aut ab uberiore nutrimento ortum ducit; largior enim potulentorum atque alimentorum euchymorum quantitas largiorem chylum, largior chylus uberiorem ſanguinis omniumque ſuccorum copiam generat.

XXXVI. Sanguinis ſupra menſuram cuique debitam quantitas Plethora dicitur, ea-

que in puram et impuram, ueram atque ap-
parentem diſtinguitur.

XXXVII. Contra Plethoram uero, tan-
quam inane otioſi ingenii commentum, ac
contra uenae ſectionem, tanquam inutile e-
noxium remedium, acriter Paracelsvs, Hel-
montivs et Consentinvs diſputant.

XXXIIX. Sed obſeruationes clinicae quoti-
die occurrentes, pluresque rationes ſatis ſu-
perque probant, quod multi morbi a pletho-
ra ortum ducentes citiſſime et tutiſſime per
ſolam uenae ſectionem curentur, unde gra-
uiſſimus error, quem allegati Medici, confun-
dentes uenae ſectionis abuſum cum uſu, com-
miſerunt, patet.

XXXIX. Vti autem uenae ſectio eſt prae-
ſtantiſſimum et praeſentiſſimum in morbis a
ſuccorum abundantia ortis remedium, ita ea-
dem pro peſſimo ueneno habenda in infir-
mitatibus, quarum cauſa atque origo in de-
fectu et mala humorum uitalium qualitate
conſiſtit; hic enim primum remedia alteran-
tia, quae excedentis uitia dyſcraſiae peruer-
ſamque ſolidorum conſtitutionem emendant
adhibenda, his peractis, corporis infirmitat-
ſanguinisque inopiae, alimentis ſucco tenui e-
copioſo inſtructis, ſuccurrendum.

XL. Non igitur, quis ſuadeat, quis diſ-
ſuadeat uenae ſectionem, expendendum, ſed
quis adſit corporis ſtatus, quo uitae genere

aegro

aegrotus ante morbum uſus fuerit? an ſecretio ſolennis ſuppreſſa, et ex qua cauſa? an uires ſufficientes, uel ſuppreſſae aut exinanitae adſint? quae aetas, quod morbi genus? conſiderandum.

XLI. Varia quantitas uariaque fluidorum qualitas multum immutat ſolidorum ſtatum, eademque nunc nimis relaxat flaccidasque reddit fibras, nunc nimis adſtringit et omni ferme ui ſe explicandi priuat.

XLII. Duo dehinc ſumma uitiorum genera, quae tam fluidarum, quam ſolidarum partium laeſionem ſequuntur, conſideranda ſunt, eaque, ſi fluidas partes reſpiciamus, in praeternaturali quantitate et qualitate, a quibus uaria ratione motus peruertitur, conſiſtunt; ſin uero ſolidorum labem examinamus, uel nimia rigiditas et contractio, uel nimia laxitas et dilatatio in culpa erit, quarum, una cum methodo medendi generali, §. 30. iam facta mentio.

XLIII. Remedia uero, quae ad morbos a fluidis ortos adhibentur, triplicis ſunt generis, 1) alterantia, 2) euacuantia, et 3) reparantia; ſucci enim qualitate peccantes emendandi, abundantes euacuandi, et deficientes reſtituendi.

XLIV. Euacuantibus nunc praeparantia et digeſtiua praemittenda, nunc eadem absque illis, ſi periculum in mora, adhibenda.

XLV. Euacuantia in uniuerſalia et particularia diſtinguuntur; ad uniuerſalium claſſem uenae ſectio, ſialagoga, emetica, purgantia diuretica et diaphoretica referuntur; particularia uero ſunt naſalia, ſternutatoria, maſticatoria, gargariſmi, et clyſteres.

XLVI. Quando defectui ſuccorum ſuccurrendum, ſumma cura inueſtigandum, an ſerum tenue, uel gelatina, aut pars purpurea deficiat; unde nunc aquoſa, nunc mucilaginoſa, nunc ſulphurea et uolatilia praeſcribenda.

XLVII. Habenda ita pariter ratio praedominantis humoris, cum in aliis ſanguis tenuis et ſulphureus abundet, ubi poſt uenae ſectionem ſeroſa et nitrata conducunt; in aliis uero ſerum in maiori, quam decet, copia, adſit, quod purgantibus, diaphoreticis et diureticis minuendum.

XLVIII. Et hoc eo magis, cum Plethora pura non detur, eaque ſemper cum cacochymia ſit coniuncta; cacochymia uero, quae idem ac dyſcraſia, intemperies, impuritas, cruditas et ſcorbutus denotat, uaria eſt, uiſcida nempe, ſeroſa, bilioſa, alcalina, acida.

XLIX. Diſtinguunt quidem nonnulli inter cruditatem atque impuritatem, per impuritatem ſordes ſanguinis, per cruditatem uero corruptionem alimentorum, intelligentes, ſed de nihilo haec eſt diſtinctio, nullamque tum in theoria, tum in praxi utilitatem obtinet.

L.

L. Ex uariis uero cacochymiae ſpeciebus patet, quid de antiſcorbuticis uniuerſalibus, aliisque ſimilibus remediis, quibus uirtus ſanguinem depurandi tribuitur, ſit iudicandum.

LI. Repudiatis igitur uniuerſalibus, neceſſarium erit, ut, dum malam ſuccorum qualitatem emendare uolumus, ſpecialem exploremus dyſcraſiam, illique contrariae remedia indolis opponamus; alia enim, nempe terreſtria, alcalina, oleoſa et ſeroſa, ad acidarum correctionem impuritatum, conducunt; acida econtra et ſalia neutra cum aquoſis iuncta in emendanda dyſcraſia alcalina et temperanda bilis abundantis acrimonia proſunt; uiſciditas, ſalino fixa, ſaponacea et diluentia requirit; in cacochymia uero ſeroſa nocent diluentia, et ſalia fixa non ſufficiunt, horumque loco ſpirituoſa et ſalia uolatilia ſimplicia et oleoſa utilia et neceſſaria ſunt.

LII. Hac methodo, in quibusuis partium fluidarum uitiis emendandis, et morbis hinc enatis curandis, uti poſſumus, ſi modo ſimul locorum, per quae impuritates euacuandae, habeamus rationem; nam aliis primae uiae diuerſi cruditatibus generis ſunt oppletae, e quibus eaedem, patefactis et dilatatis uaſorum lacteorum poris, continuo ad ſanguinem tranſeuntes, eundem inquinando, diuerſos pariunt morbos; in quo rerum ſtatu medela a canalis alimentorum expurgatione inchoanda; aliis contra particulae acres alcalinae a ſup-

ſuppreſſa tranſpiratione inſenſibili in ſanguinea maſſa totoque corpore accumulantur, quibus ea, quae ſuppreſſam reſtituunt tranſpirationem, conducunt; aliis ex haemorrhoidalis aut menſtrui obſtructione fluxus, maior, quam par eſt, ſanguinis quantitas, uariorum incommodorum autor, colligitur, quibus uenae ſectione et ſolennis reſtitutione execretionis ſuccurrendum.

Capvt. III.

DE CHYLO, ET CANALE ALIMENTORVM.

I.

Partes fluidae appellantur humores in uaſis contenti et per totam ſolidarum compagem diſtributi, qui omnium commodiſſime 1) in chylum, 2) in ſanguinem, et 3) in ſuccos e ſanguine ſecretos diſtingui poſſunt.

II. Chylus autem nihil aliud eſt, quam emulſio naturalis, ſeu humor lacteus, ex ſeroſis atque oleoſis conſtans particulis, maſticatione, attritione, digeſtione et ſolutione, in canale alimentorum elaboratus.

III. Cum autem chylus ſit ille liquor, qui ſanguini totique corpori nouam materiam pro nutritione praebet, et plurimas, tum in ſolidis,

ſolidis, tum fluidis excitat mutationes, accuratum materiae, ex qua conficitur, et organorum reliquorumque ſubſidiorum, quorum adiumento elaboratur, examen inſtituendum.

IV. Qualis enim alimentorum natura, talis chylus, qualis chylus, talis ſanguis, qualis ſanguis, talis ſuccus nutricius, qualis ſuccus nutricius, talis ſolidorum et fluidorum conſtitutio, qualis ſolidorum et fluidorum conſtitutio, talis quoque ſanitas.

V. De ciborum qualitate hoc in genere obſeruandum, quod in nullis abſoluta uis nocendi deprehendatur, ſed reſpectiua ſaltem, hoc eſt, ea alimenta, quae huic proſunt, illi nocent, et uice uerſa, adeoque quiuis ſuae conſtitutioni congrua alimenta et potulenta ſeligere debet.

VI. Eadem uero ita debent comparata eſſe, ut habeant uim ſic dicto temperamento praedominanti contrariam, et non ſaltem ſuccum nutricium reparent, ſed ſimul quoque dyſcraſiam praeſentem corrigendo, medicamentorum uices ſuſtineant.

VII. Deinceps pro diuerſa primarum uiarum conſtitutione, tam quantitas, quam qualitas alimentorum et potulentorum mutanda; ſicciora enim et ſolidiora illis conducunt, qui ſufficiente numero et robore dentium inſtructi probe maſticare poſſunt, et quibus ſerum tenue

tenue et ſpirituoſum, tum in canale alimentorum, tum in toto corpore abundat; e contra molliora et fluida illis conueniunt, qui dentibus deſtituti uentriculi atonia et tenuis defectu humoris laborant, ac partes ſolidas rigidiores, aridiores et compactiores poſſident.

VIII. Quod de alimentorum qualitate dictum, idem quoque obſeruandum in decernenda legitima quantitate, quae uaria, pro diſcrepante uitae genere, et diuerſa cuiusuis ſubiecti diſpoſitione debet eſſe; uberior quippe alimentorum et potulentorum menſura illis concedenda, qui fortiori motu corpus exercent et magis tranſpirant, cum iis contra, qui ſedentariae dediti uitae parciores et tardiores experiuntur ſecretiones, parcior cibi et potus quantitas conducat.

IX. Quo autem de negotio chylificationis nobis diſtinctum conceptum formare queamus, perquirenda atque expendenda fabrica atque actio canalis alimentorum; cibi enim, quos ori ingeſſimus, motu linguae et maxillae inferioris hinc et inde prouoluti intra dentes diſcinduntur, atteruntur, commoliuntur, et cum ſaliua intime miſcentur; iidem iam ſufficienter comminuti ope muſculorum pharyngis in oeſophagum et per eundem ad uentriculum protruduntur, qui motu ſuo alimenta iam multum attenuata magis diuidit, firmius adhuc cohaerentia a ſe

inui-

inuicem ſeiungit, craſſiora, propriae ui limphae, diluit, ſoluit et fluidiora reddit, donec eadem tandem, actione totius uentriculi, ad tubum inteſtinorum per pylorum deuoluuntur, in quibus, tum motu periſtaltico, tum limphae pancreaticae et bilis uirtute chylificationis negotium abſoluitur, cui chyli a fecibus ſecretio ſuccedit.

X. Chylificatio igitur inchoatur in ore, continuatur in uentriculo, atque abſoluitur in inteſtinis; haec autem nequaquam ſola uentriculi agitatione, nec ſola digeſtione et ſolutione, multo minus fermentatione, putrefactione, uel concoctione, uti multis, cum antiquis et recentioribus, perſuaſum, perficitur, ſed plura hic concurrunt, atque ad chylificationis negotium, tam attritio, digeſtio et diſſolutio, quam fermentatio, uiſcerum ambientium calor, compreſſio conſtans et fortis uentriculi a peritoneo alternatim contracto atque expanſo, motus tam frequentes, tam ualidi arteriae aortae ſuppoſitae, et ramorum hinc progredientium et uentriculo uicinorum, nec non uehemens diaphragmatis tanquam preli incumbentis preſſio, ſuum ſymbolum conferunt.

XI. Vnde, ſi altera partium allegatarum uitio quodam laboret, illico reliquae in conſenſum trahuntur; hoc eorum exemplo confirmari poteſt, qui dentibus deſtituti maſticare nequeunt, uel ob nimiam uoracitatem

inte-

integros bolos absque ulla comminution deglutientes grauatiuo uentriculi dolore d uexantur; ex illis quoque apparet, qua ſubſit ratio, cur aues, in quibus dentium de fectus obſeruatur, lapillos ſplendentes deglu tiant.

XII. Adeo multiplici apparatu negotium chylificationis perficitur, primum maſſa ci borum dentibus atterenda, ſubigenda et di luenda, deinceps eadem, agentibus ſimu muſculis faucium et gulae, palati uelum ele uatur, explicatur, uuula attollitur, et occluſo per epiglottidem compreſſam, aſperae arte riae principio, in os oeſophagi relaxatum pro truditur, qui mutua contractione et dilatati one, eandem ad uentriculum deducit.

XIII. Ex iis autem diſcimus, cur aliment ſicca atque arida, niſi potulentis ſuccurramus difficulter deglutiantur? cur idem eueniat il lis, qui ex morbo acuto reconualeſcentes ari ditate faucium laborant? cur eroſa, aut alio modo perdita uuula, deglutitio tuſſim exci tet? cur fiſſo uelo palatino, deglutienda, pe nares exitum moliantur? cur praeſente an gina atque inflammatis muſculis pharyngi deglutitio penitus impediatur, et omnia pe os naresque regurgitent?

XIV. Si a partibus modo adductis deglu titio impeditur, incommodum atque obſta culum in faucibus animaduertitur, aliter iden eſt comparatum, ſi oeſophagus obſtructus

com-

preſſus, uel coalitus, cibis deſcenſuris obicem ponit, quales obſeruationes Rvyschio (a) Heistero (b) et Verheynio (c) inuenimus, tunc enim in thorace moleſtia ſentitur.

XV. Nam oeſophagus per thoracem tranſit, et nobis canalem membranaceum a faucibus ad uentriculum protenſum, qui ciborum ad ſtomachum deductioni deſtinatus eſt, ſiſtit.

XVI. Oeſophago ſuccedit uentriculus, uiſcus membranaceum, cauum, ſub diaphragmate, in regione epigaſtrica, inter hepar et lienem, ſitum, ciborum receptioni, digeſtioni atque attritioni inſeruiens.

XVII. Ventriculus igitur, eſt commune totius corporis penum, quod omnibus partibus ſuccum nutritium ſuppeditat; idem uero haud raro plurium malorum conſtituit promptuarium, et fomitem morborum, quem in ſinu ſuo fouet, per totam machinam diſtribuit.

XIIX. Haeret hac ratione multarum infirmitatum origo et materia peccans in uentriculo; ab eodem tamen omnes morbi, uti quibusdam perſuaſum, nequaquam deriuandi.

(a) Decad. 1. Aduerſ. Anat. obſ. 10. (b) Compend. Anatom. p. m. 184. (c) Anat. cap. 10. de oeſophago.

XIX. Summe hinc neceſſarium, ut, ad ſanitatis tutelam, uentriculum robuſtum atque a cruditatibus liberum conſeruemus.

XX. Hoc autem nec emeticis, nec ſic dictis ſpecificis ſtomachalibus ſolum et ſemper impetrabimus, ſed conueniente ac cuiusuis conſtitutioni accommodata uictus uiuendique ratione.

XXI. Ne igitur uentriculus cruditatibus oneretur, ſummo ſtudio curandum, hoc autem omnium optime parciore conuenientium alimentorum et potulentorum uſu perficietur; nihil enim magis uentriculi tonum proſternit, quam largior cibi et potus quantitas.

XXII. Si tamen uberior ſucci alibilis copia corpori utilis et neceſſaria ſit, praeſtat, eandem repetitis uicibus communicare, quam ſimul et ſemel ingerendo, uentriculum nimis dilatare, atque illius atoniam inducere.

XXIII. Nam pauco cibo et potu aſſumto, fibrae tum longitudinales, tum ſpirales uentriculi irritatae, ſe fortius et liberius contrahendo, perſpirationem internam, et hoc modo ciborum ſolutionem atque attritionem promouent; uentriculus autem ab ingeſtorum copia nimis infarctus, ob fibras ultra ſphaerae ſuae tonum dilatatas, nihil aggreditur, nec digerit, nec ſoluit, ſed cruda

da denuo, ea, qua aſſumta fuerunt forma, per uomitum reddit:

XXIV. Ex his patet, quam male ſibi illi proſpiciant, qui μονοσιτία, hoc eſt, conſuetudine ſemel de die capiendi cibum, delectantur; eadem tamen approbanda, ſi iam a multo tempore cum corporis emolumento parcioreque tranſpiratione, durauit.

XXV. Deterior adhuc eſt eorum error, qui uitae ſedentariae dediti, et hac de cauſa fibrarum motricium inertia laborantes uentriculi tunicas nimia potulentorum copia relaxant ac debilitant.

XXVI. Maxime quoque noxium, prioribus cibis nondum digeſtis, reſolutis atque euacuatis, nouos aſſumere, nam non modo uentriculi tonus hinc labefactatur, ſed cruditates quoque generantur.

XXVII. Haec uitia nonnulli ſpiritus uini poſt paſtum uſu, eoque largiore emendare ſtudent, ſed fruſtra; ille enim ad pinguiorum alimentorum ſolutionem ſaltem conducit, alia autem magis indurat atque irreſolubilia reddit; idem praeterea, ſi frequenter ingurgitetur, continuo ſuo ſtimulo fibras motrices languidas atque ad reliquum chylificationis negotium abſoluendum impares reddit.

XXVIII. Idem ſentiendum de eſſentiis elixiriis et pulueribus ſtomachalibus, quae ſiue amara, ſiue aromatica uel acida, aut ex acidis et uinoſis compoſita ſint, haud con ueniunt in ſtatu ſano; nam, ſi iisdem alimen tis, quae nobis conducunt, in ea, qua de cet, quantitate, utimur, uentriculi robur ad chylificationem iam ſufficiet.

XXIX. Alia autem procedendum ratio ne, ſi uentriculus ex peruerſa uictus ratio ne cruditatibus onuſtus uariis laborat in commodis, ita, ut non modo appetitus, di geſtio, ſolutio atque attritio langueat, ſed bulimia quoque, cynorexia, pica et malacia nauſea, uomitus, cardialgia, ardor uentri culi, lienteria, cholera, ſitis, pluraque ad ſint mala; tunc enim corrigendae atque e uacuandae ſunt impuritates, priſtinumque robur uentriculo appropriatis remediis re ſtituendum.

XXX. Primum, quod inter morbos uen triculi occurrit, uitium eſt ἀνορεξία, ſeu ap petitus proſtratus, denotans, abolitum de ſiderium capiendi cibos, a limphae gaſtrica inertia uel defectu, aut impedita illius ope ratione proueniens.

XXXI. Gradu ſaltem ab ἀνορεξίᾳ differ δυσορεξία, quam appetitus diminutus, ex ſuf ficientis defectu ſtimuli dependens, con ſtituit.

XXXII

XXXII. Duas quoque immodici appetitus ſpecies habemus, quarum prima *κυνοϱεξία*, ſeu fames canina dicta, inſatiabile uorandi deſiderium eſt, cum aſſumtorum uomitu, ac uomitui ſuccedente impenſa fame, coniunctum.

XXXIII. Altera appetitus uehementioris ſpecies, *βȣλιμος*, ſeu fames bouina, magna itidem edendi cupiditas eſt, aſt non diu perſeuerans, ſed illico uſu alimentorum ceſſans, uel his non illico oblatis, in cardialgiam atque animi deliquium deſinens.

XXXIV. Ad deprauati uitia appetitus, pica et malacia quoque pertinent, quae quibusdam unum eundemque morbum, aliis uero diuerſum ſignificant; pica enim, rerum abſurdarum et hominis naturae aduerſarum appetentia eſt, eaque non tantum grauidis, ſed pueris quoque, atque in ſpecie uirginibus chloroſi laborantibus accidit.

XXXV. Malacia e contra praegnantibus ſaltem familiaris, ſolitorum quidem denotat cupiditatem, aſt cum tanta animi impatientia atque auiditate coniunctam, ut, niſi uotis ſatisfiat, uaria, ex fortiore impreſſione, mala, tum mater, tum foetus, ſuſtinere teneatur.

XXXVI. Vario ita modo laeditur appetitus, uaria quoque chylificationis ſunt uitia, quae tamen omnia ad *ἀπεψίαν*, *βϱαδυπεψίαν* et *δυσπεψίαν* referri poſſunt.

XXXVII. Ἀπεψία, denotat abolitam chylificationem, a uentriculi atonia et cruditatibus prouenientem, cum alimentorum, ea, qua aſſumta fuerunt, forma, per ſuperiora, aut per inferiora reiectione, coniunctam.

XXXVIII. Βραδυπεψία uero, tardior eſt chylificatio, a nimia uentriculi laxitate et limphae gaſtricae inertia ortum ducens.

XXXIX. Δυσπεψία econtra, uocatur cruditas uentriculi, qua cibi aſſumti corrumpuntur, atque in ſuccos malae qualitatis et ſanitati minus congruos transmutantur.

XL. Lienteria, eſt ſymptoma ἀπεψίας, quo alimenta non mutata, ſine dolore, citoque, per aluum excernuntur.

XLI. Vomitus, eſt uiolenta uentriculi per ſuperiora euacuatio, qua conſtrictis fibris pylori, lateribusque fundi prius dilatatis, deinceps contractis, uerſus orificium ſiniſtrum contenta in cauitate uentriculi propelluntur, et per oeſophagum atque os expelluntur.

XLII. Nauſea, tum ciborum faſtidium, tum inanem uomendi conatum, a uentriculo cruditatibus uiſcidis et bilioſis imbuto prouenientem ſignificat.

XLIII. Ab his, uehementia ſymptomatum, differt Cholera, quae in ſiccam et humidam diſtinguitur; eſt uero Cholera humida, uehemens et fere continua maſſae bilioſae acris

cris per os atque aluum eiectio, cardialgiam, ſingultum, febrem, conuulſionem et ſyncopem, comites habens.

XLIV. Longe alia morbi ſpecies eſt Cholera ſicca, denotans flatuum, tam per os, quam per aluum, cum impetu erumpentium propulſionem.

XLV. Per cardialgiam, in ſpecie, orificii ſiniſtri uentriculi, quod *καρδίαν* dicebant ueteres, in genere uero, quemuis uentriculi, continuum uel intermittentem, periodicum uel uagum, latus ſiniſtrum uel dextrum, uel fundum afficientem dolorem, ab irritatione et uellicatione fibrarum neruoſarum uentriculi excitatum, intelligunt.

XLVI. Huc quoque pertinet ſoda, ſenſus ardoris in ſtomacho ex acrium contrariae indolis humorum ebullitione productus, unde quoque ardor uentriculi appellatur.

XLVII. Sitis a multis in catalogum morborum, quorum origo a uentriculo affecto dependet, etiam refertur, ſed uti nonnunquam dictum incommodum uentriculi uitio excitatur, ita idem ſaepiſſime in ſiti inſons penitus, omnique tum culpa, tum crimine uacat; ſitis autem, eſt deſiderium potus, a papillarum neruearum in ore diſpoſitarum ariditate et uellicatione proueniens.

XLVIII. In cura horum morborum, probe examinanda origo, et peccantis natura materiae, in ſpecie expendendum, an iidem ſint idiopathici uel ſympathici, critici uel ſymptomatici.

XLIX. Hocce modo, ſi aliquis febri laborans non conatum modo uomendi ſentit, ſed quoque uomitum ipſum experitur, et poſt copioſae reiectionem pituitae, ſe melius habet, uomitus ille cum criticus ſit, minime ſiſtendus, ſed appropriato emetico promouendus.

L. Criticus autem morbus ille dicitur, qui materiam peccantem euacuando, corpus noſtrum a grauiore et periculoſiore morbo uel praeſeruat, aut penitus liberat.

LI. Symptomaticus econtra eſt, qui non modo ſympathicus, ſed maxime funeſtus quoque, accelerans aegroti perniciem.

LII. Sympathicus morbus, qui alias quoque ſecundarius dicitur, denotat infirmitatem ab alia prouenientem.

LIII. Generantur uero morbi ſympathici duplici modo, uel per peccantis communicationem materiae, uel per neruorum conſenſum, in quo magna uis eſt paris uagi neruorum.

LIV. Morbus idiopathicus, quem etiam eſſentialem, primarium atque originalem uocant, eſt ille, qui a nullo alio dependet.

LV. Si igitur iam deſcripta uentriculi mala

la ſint ſympathica, cura ad morbi eſſentialis extirpationem dirigenda, ſin uero eadem idiopathica, et cauſa in ipſo haereat uentriculo, uel remedia alterantia, uel euacuantia, aut utraque unita, aut confortantia praeſcribenda.

LVI. Non autem quaeuis omnibus peraeque conducunt, nullique remedio uirtus uniuerſalis et ſpecifica uentriculum purgandi ac confortandi affingenda, uti FABER (e) de antimonio; THEODORVS *de* BRY (e) et CLAVDIVS THEODATVS (f) de Acetoſitate uitrioli; FINCKIVS (g) de ſpiritu abſinthii; AGRICOLA (h) de arcano tartari, perhibuerunt.

LVII. Reliquis remediis praemittenda ſunt alterantia, quibus ſolis ſaepisſime grauisſima uentriculi mala tolluntur; haec autem aegroti conſtitutioni et cruditatum praeſentium indoli corrigendae accommodata et ſufficientia debent eſſe.

LVIII. Si igitur cruditates acidae uentriculum obſidentes incommodum creent, bulimiam, cynorexiam, ardorem, quem ſodam dicunt, cardialgiam, ructus et ſingultum excitent, remedia gelatinoſa, oleoſa et

 ter-

d) Vniuerſ. ſapient. l. 3. c. 2. (e) Introduct. in uitalem Philoſ. tr. 2. de cur. morb. cap. 14. (f) Panth. Hygiaſt. l. 3. c. 24. p. 131. (g) Enchirid. Dogmat. Hermet. cap. 19. (h) Comment. in Popp. tr. de Tartaro p. m. 662.

terrea ſale alcali ſaturata, aut ipſa ſalia fix
et uolatilia alcalia, qualia ſunt, lapides can
crorum, antimonium diaphoreticum mar
tiale, ſal abſinthii, cardui benedicti, centau
rei minoris, eſſentia fumariae, decoctum cha
momillae Romanae cum uino, conducunt.

LIX. Illa econtra nocent in infirmitati
bus uentriculi, quae ab acribus alcalinis e
biliofis particulis ortum ducunt, ſeroſis enim
et blandis acidis, nempe cryſtallis tartari
tartaro uitriolato, ſucco mali citri aqua di
luto, tinctura florum bellidos, roſarum, ui
olarum, ſpiritu uitrioli limpha copioſa tem
perato, ſalis alcalini et maſſae bilioſae acri
monia ſubigenda atque emendanda.

LX. Si uero uiſcidioris copia maſſae ua
riis malis anſam ſuppeditaret, remedia aro
matica atque amara cum diluentibus calidi
uſurpata praecipue conueniunt.

LXI. Haec autem remedia non alterant
modo uentriculi cruditates, ſed easdem
quoque euacuant; et huiusmodi medica
mentis ſemper uti debemus, repudiatis
terreis calciformibus atque adſtringentibus
quae quidem acrimoniam acidam abſor
bent, cum eadem uero combinata ſubſtan
tiam fixiorem atque irreſolubilem conſti
tuant.

LXII. Optimum igitur factu erit, crudi
tates uentriculi allegata methodo correctas
et

et praeparatas, uel emeticorum, uel purgantium uſu, euacuare.

LXIII. Praeferenda hic mitiora purgantia emeticis, et praeſtat ſuccesſiue cum totius machinae emolumento uentriculi et uniuerſi canalis alimentorum impuritates per aluum euacuare, quam praeſcripto emetico, easdem ſimul et ſemel cum maxima totius corporis infirmitate atque iniuria, expurgare.

LXIV. Vrgente tamen necesſitate, emetica quoque adhibenda, ſeligas uero mitiora, et ſi haec tibi non ſatisfaciant, ad fortiora confugias.

LXV. Emetici uero necesſitatem, ſuffarctus pulmonalis, aſthma aliaque grauiora ſymptomata ex uentriculo cruditatibus obſeſſo et repleto prouenientia indicant.

LXVI. Conducunt quoque emetica ad obſtructiones, tam in thorace et ore, quam in abdomine haerentes reſerandas, ac matura pulmonum, hepatis, lienis, pancreatis aliorumque uiſcerum ulcera diſrumpenda atque expurganda.

LXVII. In tali uero ſtatu prius, quam emeticum propinetur, remedia diluentia, lubricantia, laxantia, incidentia atque irritantia, ex malua, parietaria, althaea, ſcabioſa, hepatica ſtellata, et ſapone Veneto parata adhibeantur, iisque, tum uiae, per quas expurgatio inſtituenda,

enda, tum cruditates remouendae, ad ex-
cretionem praeparentur.

LXVIII. In Plethoricis, aut penitus fugi-
as emetica, aut, ſi uentriculus cruditatibus
oneratus neceſſarium eorum uſum indicet,
uomitorio praemittas uenae ſectionem.

LXIX. Praeterea emetica ſenibus, debili-
bus, hernioſis, iisque, qui calculo, inflamma-
tione, ſcirrho atque exulceratione uiſcerum
laborant, et quibus difficilis eſt uomitus, aut
qui anguſto ſunt pectore, et haemoptyſin
iam experti ſunt, minus congrua remedia.

LXX. Varii autem generis ſunt emetica,
alia, copia ſua, uehementer fibras motrices
uentriculi diſtendendo, alia nauſeoſa ſua pin-
guedine uel dulcedine, nimis laxando et lu-
bricando, alia ſpiculis ſuis acribus irritando
et ſpasmos concitando, earum, quae in uen-
triculo continentur, impuritatum reiectio-
nem promouent.

LXXI. Primi ſecundique generis eme-
tica conducunt, quando particulae acres
diluendae atque expurgandae, aut uenena
corroſiua implicanda et remouenda, in quo
caſu oleum amygdalarum dulcium, ſperma
ceti et largior iuſculorum pinguium quan-
titas ordinanda. Tertium autem emetico-
rum genus, ad maſſae tenacioris uentriculi
tunicis impactae reſolutionem atque excre-
tionem

tionem conducit; horum autem alia mitiora et tutiora, alia uero fortiora et periculoſiora ſunt.

LXXII. Inter mitiora referenda Ipecacoannha, quae a ſcrupulo uno ad dimidiam totamque drachmam praeſcribitur, et omnium optime puluериſata in uino gallico uel hiſpanico exhibetur; tutiſſime enim et leniter uomitum ciet, et expurgata maſſa uiſcoſa, terreae adiumento ſubſtantiae, qua ſimul gaudet, uentriculi fibras roborat.

LXXIII. Huius farinae quoque ſyrupus emeticus Angeli Salae, Zwelfferi, Schroederi, Diſpenſatorii Brandenburgici, oxyſacharum emeticum Minſichti, Ludouici, uinum emeticum ex croco metallorum ſola digeſtione paratum, quae omnia ſuam uim ſpiculis antimonialibus, quae uel acetum, uel uinum affuſum imbibit, debent, et a drachma una ad drachmas duas, unciam dimidiam et totam, pro ratione aetatis, praeſcribuntur.

LXXIV. His annumerandus tartarus emeticus, qui nihil aliud eſt, quam cremor tartari particulis antimonialibus acribus ſaturatus, maſſae uiſcoſae reſolutioni atque expurgationi, a grano uno ad ſex, cum ſalis plantarum granis duodecim, in puluere, aut cum conſerua roſarum, in bolo, uel cum oxymelle ſquillitico atque aqua aſa-

ri

ri et foeniculi, in potiuncula exhibitus, inſeruiens.

LXXV. Hoc remedium, nempe tartarus emeticus, quanquam promiſcue a plurimis Medicis praeſcribatur, non niſi phlegmaticis, et quorum uentriculus cruditatibus uiſcidis, quae alio remedio difficulter reſolui poſſunt, repletus eſt, ſaltem conducit.

LXXVI. Laudatur praeterea, ſcopo uomitum ciendi, mercurius uitae, qui ab inuentore, puluis Algorethi uocatur, ſed egomet illius, tanquam ueneni acrioris, uſum penitus diſuadeo; ſi enim uiſcida materia peccat, eaque per uomitum remouenda, iam ſufficit tartarus emeticus, quo, ſi urgeat neceſſitas, in maiori doſi, et repetitis uicibus, uti poſſumus.

LXXVII. Tutiora et praeſtantiora mercurio uitae ſunt emetica ex uitriolo parata, praeſertim, ſi cruditates bilioſae corrigendae atque euocandae, et uilli motrices uentriculi laxiores corroborandi. Adhibentur autem hunc in finem uitriolum crudum, gilla et ſal uitrioli.

LXXVIII. Vitriolum crudum haud omnibus peraeque placet, et perpauci hodie reperiuntur, quibus adhuc in uſu ſit, quanquam de eodem Thom Bovivs Veronenſis

ſis affirmet, (i) quod uitrioli drachma una in mellis et aquae portione aequali diſſoluti frequentiſſime tam felici ſucceſſu, ſcopo uentriculum depurandi, uſus fuerit, ut in peſte Veronenſi plus quam decem libras cum maximo aegrotorum emolumento conſumſerit.

LXXIX. Praeferenda uero uitriolo crudo, Gilla, ſiue uitriolum, ſolutione, filtratione et cryſtalliſatione dealbatum et depuratum. Gilla adhuc praeſtantius eſt ſal uitrioli, quod a ſcrupulo dimidio ad totum in infuſo Theae aut aqua calida ad uomitum ciendum ſufficit, et ab Angelo Sala (k) pro benigniſſimo atque uniuerſali emetico habetur.

LXXX. Allegata remedia in infinitis morbis, nequaquam in omnibus, proſunt, nec quaeuis promiſcue omnibus exhibenda, ſed cuiuis accommodatum ſeligendum; hoc enim non rite obſeruato, emetica, uel ſine effectu, propinantur, aut eadem, hypercatharſis, uomitus cruentus, appetitus proſtratus, uentriculi et totius machinae imbecillitas ſequitur.

LXXXI. Operae igitur pretium, oſtendere, qua methodo, nimius, isque uel ſimplex, uel

(i) in libro, qui flagellum dicitur, uid. Fonſeca T. 1. conſult. 4. p. 334. (k) Ternar. Emet. cap. 4. p. 499.

uel cruentus uomitus ſit ſiſtendus; ſi il
enim ab acribus ſalino-ſulphureis remedi
ſit ortus, diluentia, uiſcoſa, aromatica atqu
in ſpecie ita dicta anodyna conducunt
nempe iuſculum ex auena trita paratum
oleum oliuarum, lac chalybeatum, ſuccu
glycyrrhizae, eſſentia opii uino canarien
parata, diaſcordium, theriaca, philonia, m
thridatium; his enim ſpicula acria partim
implicantur, partim motus humorum a
uentriculum temperatur, atque a uentricu
lo ad ſuperficiem determinatur.

LXXXII. Diluentia uero et mucilagino
penitus fugienda ſunt, ſi nimius uomitus
nimiaque purgatio a laxatis fibris et uaſi
flaccidoque uentriculo proueniat, potiu
hic ad auſtera acida, qualia ſunt, tinctur
martis cydoniata, mars ſubtiliſſime tritu
et guttis aliquot olei cinamomi irroratus a
que in uino rhenano exhibitus, radix to
mentillae, biſtortae, cortex peruuianus
mala aurantia, confugiendum.

LXXXIII. Mutanda iterum haec metho
dus medendi in uomitu, qui uulnera cap
tis, paſſionem colicam, nephritidem, ſup
preſſam tranſpirationem inſenſibilem, im
peditum ſanguinis menſtrui per muliebri
excretionem, ſequitur; in uulnere enim d
conſolidatione partium laeſarum laboran
dum; in colica, applicatis clyſteribus, ſpaſm
e

ex inferioribus ad ſuperiora progredientes ſedandi, nephritidi et hanc comitanti uomitui per uenae ſectionem, emollientia, acidaque ſuccurrendum; uomitus a ſuppreſſa tranſpiratione per frictiones et ſalia uolatilia ſimplicia et oleoſa curatur.

LXXXIV. Haec et plura alia adhuc expendenda in uomitu cruento, qui impedito fluxui menſtruo ſuccedit; cum enim ob compactiorem uteri uaginaeque uterinae conſtitutionem, abundans ſanguinis portio per muliebria eliminari nequeat, illae partes fotibus, balneis et clyſteribus emolliendae, relaxandae atque aperiendae, econtra uero apices arterioſi in uentriculo diſpoſiti laxiores martialibus et balſamicis, nempe tinctura balſami peruuiani cum ſpiritu nitri dulci parata, tinctura martis cydoniata, roborandi.

LXXXV. Rarioribus obſeruationibus practicis annumerandus uomitus lotii, cuius Fontenelle (l) facit mentionem, ubi uirgo ex ordine Franciſcano paſſione hyſterica et uariis motibus conuulſiuis diuexata in *ἀουρίαν* et hanc ſequentem urinae per os reiectionem incidit; huius autem ſymptomatis explicatio non aliunde, quam ab obſtructis arteriarum emulgentium apicibus, et dehinc impedita lotii in renibus ſecretione,

D

(l) Hiſtoire de l' Academie Royale des Sciençes de l' an. 1715. n. 3. p. 15.

ne, quod deinceps, relaxatis arteriarum ga ſtricarum extremitatibus, in uentriculo fui ſeparatum, deriuanda.

LXXXVI. Nam, quo uentriculus ſuas a ctiones, praecipue chylificationis negotiun rite perficere queat, humor aquoſus, ſub ſalſus, qui limpha gaſtrica aliis, aliis men ſtruum et fermentum uentriculi appellatur a ſanguine per tomentoſas arteriarum ga ſtricarum extremitates ſecernitur; interdum uero, immutata naturali ſuccorum et poro rum ſecretoriorum diſpoſitione, contingit alios liquores, bilem ſcilicet, urinam, ſangui nem, in aliis organis ſeparandos, hic ſib tranſitum parare, et uaria incommoda ex citare.

LXXXVII. Cum autem limpha gaſtrica ſit liquor e ſanguine ſecretus, hinc liquet eandem ordinario de ſanguinis indole par ticipare, uariamque pro uaria cuiusuis con ſtitutione eſſe, et iam in eadem particula mucilaginoſas, iam ſalino-acidas, iam alcali nas excedere, unde quoque tantum in ap petitu, digeſtione et chylificatione diſcri men animaduertimus.

LXXXVIII. Liquori e ſanguine per ga ſtricarum apices arteriarum ſecreto adden dus ſuccus nerueus, qui e papillis nerueis quibus uentriculus abundat, continua ſece dit perſpiratione, et haud parum uim dilu

end

endi, digerendi et ſoluendi, quam lymphae gaſtricae tribuunt, auget.

LXXXIX. Haec uis uero tanta non eſt, ut limphae gaſtricae, titulus menſtrui uniuerſalis exinde ſit tribuendus, haec enim diluendo, digerendo et ſoluendo multum ad chylificationem contribuit, ſola autem minime ad tot, et tam uaria, tam ſolida alimenta diſſoluenda ſufficit.

XC. Multo minus credendum, hanc uirtutem in ſaliua latere, quae quippe eiusdem cum limpha gaſtrica et pancreatica eſt indolis, et ad chylificationis negotium neceſſaria quidem, ſola uero nequaquam id praeſtare poteſt.

XCI. Requiruntnr enim ad chylificationis negotium praeter ſaliuam, limpham gaſtricam et debitum uentriculi robur, ſuccus inteſtinorum, pancreaticus et bilis, quod praeſertim hepatis obſtructio atque impedita bilis ſecretio confirmat, qua chyli elaboratio ac ſecretio turbatur.

XCII. Totus ita canalis alimentorum in unam hanc actionem conſpirat, diuerſumque apparatum mechanicum in eodem deprehendimus, quo cibi comminui, cum potulentis miſceri, per aliquod temporis ſpatium in certa parte commorari, ex alia ad alteram propelli, utilia ab inutilibus ſeparari, queant.

XCIII. Quo igitur hoc rite perfici queat, canalis alimentorum non continuus modo, ſed iam arctior, iam amplior redditus uarias uario inſignitas nomine partes conſtituit, ex quorum claſſe oeſophagus, uentriculus atque inteſtina.

XCIV. Ventriculi atque oeſophagi delineatio iam tradita, paucis inteſtinorum fabrica, diſtinctio et functio examinanda; ſiſtunt uero nobis inteſtina tubum neruoſum ſexies homine longiorem, miris plurimisque circumductum gyris.

XCV. Diſtinguuntur inteſtina in tenuia et craſſa; tenuium tria, duodenum, ieiunum et ileon; craſſorum itidem tria, coecum, colon et rectum.

XCVI. Totus inteſtinorum tractus meſenterio alligatus, ope illius, connexionem cum uertebris lumborum obtinet, unde dolor ab affectis inteſtinis ad lumbos proſerpit.

XCVII. Vnicus quidem eſt canalis, atque unum inteſtinum ex altero progreditur, uaria uero illorum eſt ſtructura uariaque functio; tenuia enim ad chyli perfectam elaborationem, eiusque a fecibus ſecretionem deſtinata ſunt, craſſa uero fecibus recipiendis, colligendis atque eliminandis inſeruiunt.

XCVIII. Praecipue in inteſtino duodeno, tenuium primo, atque ex pyloro immediate

diate progrediente, chylificatio, tam motu periſtaltico, et uiſcerum accumbentium calore, quam propriae et pancreaticae limphae, nec non bilis ope, abſoluitur.

XCIX. Inchoatur in eodem inteſtino chyli ſecretio, idemque periſtaltici miniſterio motus, agentibus praeſertim fibris rectis, concaua inteſtinorum parte laxata, conuexa uero arctata, in reſerata et dilatata uaſorum lacteorum oſcula commeat.

C. Denegat quidem Warthonvs inteſtino duodeno omnia uaſa lactea, ſed haec ſententia autopſiae anatomicae repugnat.

CI. Longe maior uero in inteſtino ieiuno uaſorum lacteorum copia reperitur, unde quoque tam promte hic ſecretionis negotium procedit.

CII. Ne autem citius, quam par eſt, chylus dictum tranſeat inteſtinum, peculiari artificio mechanico, rugis nempe et plicis, quas multi conniuentes ualuulas et iuga dicunt, proſpectum.

CIII. Deſiderantur rugae et iuga modo deſcripta in inteſtino Ileo, tenuium ultimo; diminuitur quoque in eodem inteſtino numerus uaſorum lacteorum, et quidem magis in ine, quo cum craſſis proxime communicat.

CIV. Perpauca hoc modo uaſa lactea in craſſis inteſtinis deprehendimus,

mus, eadem tamen, excepto recto, minime, omnibus, ex quorundam ſententia, deſtituuntur; praecipue enim craſſa recipiendis atque eliminandis fecibus ſunt deſtinata; praeter haec autem, reſiduae maſſae chyloſae, quae adhuc fecibus inhaeret, ſecretioni inſeruiunt.

CV. Primum inter craſſa inteſtina eſt coecum, ſiue monoculum, quod etiam proceſſus atque appendix uermiformis appellatur, atque ex inteſtino ileo ad dextri oſſis ilei latus emergens ſacculum anguſtiorem, qui quatuor transuerſorum digitorum latitudinem longitudine haud excedit, nobis repraeſentat.

CVI. Alterum craſſorum inteſtinorum, eſt colon, peculiari inſtructum apparatu mechanico; primum occurrit ualuula Bauhini, quae tenui ſtria ex tenuibus inteſtinis impuram atque effoetam maſſam admittit, deinceps plures ualuulae conniuentes in eodem inueniuntur, quae retinendis excrementis, atque omnimodae chyli ſecretioni inſeruiunt, quod haud parum mirae huius inteſtini ambages et mutua in progreſſu cum oſſe ileo, renibus, ueſicula fellis, hepate, uentriculo et liene connexio adiuuant, uti idem iam §. 23. *capitis* 2. demonſtraui.

CVII. Deſunt penitus in inteſtino recto omnes

omnes ualuulae, idem nullis cellulis inaequale, et nullis gyris atque anfractibus diſtinctum, rectum ſitum atque aequalem habet diametrum, quo per idem tanquam canalem rectum, recta uia, fecum excretio fieri queat.

CVIII. Initium huius inteſtini eſt iuxta infimam lumborum uertebram, idemque ſuper oſſe ſacro progrediens unius uel duarum palmarum longitudinem et trium digitorum latitudinem obtinet, atque in anum, huius inteſtini finem conſtituentem, abit, et cum oſſe coccygis ac ueſica in uiris, in mulieribus uero cum uagina uteri connectitur.

CVIIII. In ano autem tres muſculi et uaſa haemorrhoidalia conſideranda ſunt; duo enim muſculi eleuatores, attollendo recti extremitatem inteſtini, ſphincteris in priſtinum ſitum reſtitutionem promouent; tertius, ſphincter dictus, atque ex annularibus fibris compoſitus, occludendo anum, inuoluntariam fecum excretionem impedit.

CX. Omnis uero inteſtinorum fabrica et functio ad chyli perfectionem et ſecretionem, ac fecum excretionem directa eſt, prius in tenuibus, poſterius in craſſis perficitur.

CXI. Ad chyli ſecretionem ductus chyliferi cumprimis neceſſarii ſunt, qui in primi et ſecundi generis uaſa diſtinguuntur,

 et

et nihil aliud ſunt, quam canales ſubtiliſſimi, uaſis limphaticis uenisque aemuli, qui chylo ex inteſtinis recipiendo atque ad glandulas meſeraicas et receptaculum Pecqueti deriuando inſeruiunt.

CXII. Vaſa lactea primi generis copioſiora, aſt exiliora, chylum ex inteſtinis recipiunt, atque ad glandulas meſeraicas deducunt; uaſa lactea uero ſecundi generis maiora quidem, at pauciora, eaque chylum ad ciſternam chyli deriuant, ex qua ulterius per ductum thoracicum ad uenam axillarem ſiue ſubclauiam ſiniſtram ablegatur.

CXIII. Primum itaque organum, ad quod chylus ſecretus deriuatur, eſt meſenterium, membrana craſſior, in plicas conuoluta, colligandis inteſtinis inſeruiens, per quam miro nexu gyroque uaſa ſanguifera, limphatica, lactea, nerui, glandulae et receptacula pinguedinis diſtribuuntur.

CXIV. Diuiditur meſenterium in meſeraeum, cui tenuia inteſtina alligata dicuntur, et meſocolon, quod colon et reliquum craſſorum inteſtinorum comprehendit et colligat.

CXV. Praecipue autem conſideranda meſenterii cum tribus ſuperioribus lumborum uertebris connexio, ex quibus, plurimis a peritoneo productis fibris in duas abeuntibus

beuntibus membranas, ortum trahere uidetur.

CXVI. In humano meſenterio, pancreas Aſellii, quod loco minorum glandularum, in cane deprehendimus, omnino deeſt, et huius loco, plures minores glandulae inueniuntur.

CXVII. Sunt autem glandulae iſtae, exiles machinae muſculoſae, rotundae, ſuis pelliculis et omnis generis uaſis inſtructae, chylo adducto diluendo et diuidendo inſeruientes.

CXVIII. Maxime tenues et ſubtiles ſunt illae glandulae, hinc eaedem perfrequenter, ſi chylus ſit uiſcidior, aut alia labe inquinatus, obſtruuntur, ſcirrho, exulceratione aliisque morbis afficiuntur, quorum deinceps totum corpus, particeps redditur.

CXIX. Ex glandulis meſeraicis chylus per lactea ſecundi generis uaſa ad ciſternam ſeu receptaculum chyli deriuatur, quod ſacculus exilior membranaceus, ex lacteorum ſecundi generis uaſorum concurſu conflatus, in ſiniſtro latere ſuperiorum uertebrarum lumborum ſub aorta et ſiniſtri renis uaſis ſitus, conſtituit.

CXX. Receptaculum chyli, ductus thoracici principium conſtituit, unde reliquo tractu amplius; eſt uero ductus thoracicus,

uas tenerrimum, unicum maximam partem, quandoque duplex, quod chylum et limpham recipit, atque ad uenam axillarem ſiue ſubclauiam ſiniſtram deducit.

CXXI. Haec ordinaria ſunt uaſa, per quae chylus in ſanguinem corriuatur, haec eſt regia chyli uia, praeter quam, ut experimenta ratione ſuffulta docent, nulla alia datur, quanquam nec praeſenti tempore deſint, qui cum antiquis perhibent, quod chylus a uaſis meſeraicis partim, partim a lacteis abſorbeatur, atque ad hepar deriuetur.

CXXII. Ex eorum numero eſt Sqvammerdamivs et Nentervs, quorum poſterior ad ſuae ſententiae confirmationem ſequentes adducit rationes; 1) pennata uaſis lacteis deſtitui, 2) flatum in horum inteſtina immiſſum in uaſa meſeraica penetrare, 3) et 4) maximam uaſorum meſeraicorum in inteſtinis eſſe copiam, et longe plures uenas, quam arterias 5) laeſo ductu thoracico, non illico mortem eſſe ſecutam.

CXXIII. Praeſentes uero rationes admodum leues ſunt et nihil euincunt, 1) argumentum a uaſorum lacteorum in pennatis abſentia de nihilo eſt, cum uaſa lactea in homine pluribus obſeruationibus ſint demonſtrata; deinceps flatus inteſtinis pennatorum imiſſus et in uaſa meſeraica penetrans, quod per hanc uiam in pennatis, non uero in ho-

homine chylus ad ſanguinem deriuetur, probat. Praeterea uenarum copia non in meſenterio, ſed in aliis quoque partibus numerum arteriarum ſuperat. Tandem laeſum ductum thoracicum non illico mors ſecuta fuit, quia idem maximam partem duplex eſt, et hoc modo uita adhuc per aliquod temporis ſpatium conſeruari potuit.

CXXIV. His addendum, quod pars tenuior et ſpirituoſa alimentorum a poris uenarum et uaſorum limphaticorum, in ore, oeſophago, et uentriculo diſpoſitorum hauſta, haud leues ſanguini totique corpori ferat ſuppetias.

CXXV. Aliter autem idem cum chylo ipſo, qui ex ſeroſae et oleoſae combinatione ſubſtantiae conſtat, comparatum, ille enim, uti Loweri obſeruatio et demonſtratio docet, non per aliam, quam iam indicaui atque explicaui, uiam, ad ſanguinem deriuatur.

CXXVI. Cum uero inteſtina ex tam ambagioſo atque intricato ductu conſtent, cum in iisdem chyli elaboratio et ſecretio abſoluatur, cum eadem ſecum receptaculum conſtituant, quantum conueniens eorum expurgatio debito inſtituta tempore ad ſanitatis tutelam conferat, hinc abunde liquet.

CXXVII.

CXXVII. Quotidiana cumprimis experientia docet, neglecto tempeſtiuo remediorum purgantium uſu, non in primis uiis modo cruditates coaceruari, uariaque incommoda in illis excitari, ſed easdem quoque, inquinando chylum et ſanguinem, uariis iisque grauiſſimis morbis anſam et fomitem praebere.

CXXVIII. Non tamen omnis febris intermittentis origo ab inteſtino duodeno, uti fert Frid. Hoffmanni ſententia, deriuanda, licet interdum materiae peccantis ſedem idem conſtituat.

CXXIX. Praecipue autem ex uermibus, aut coaceruatis in tubo inteſtinorum uariae indolis impuritatibus, uel ex ſuccorum ad inteſtina affluxu, coeliaca, diarrhoea, dyſenteria, fluxus hepaticus, paſſio colica, iliaca, hernia, haemorrhoides fluentes et coecae, teneſmus, ani procidentia, alui conſtipatio, aliique morbi propullulant.

CXXX. Coeliaca, eſt frequens et copioſa chyli fecibus admiſti per aluum excretio, ab impedita chyli ſecretione dependens.

CXXXI. Diarrhoea, crebriorem et largiorem maſſae ſeroſae, bilioſae, mucilaginoſae, nunc cum, nunc ſine torminibus factam deiectionem ſignificat, eaque pro uaria qualitate materiae excretae, iam pituitoſa, iam bilioſa nuncupatur.

CXXXII.

CXXXII. Dyſenteria, eſt deiectio alui frequens, mucilaginoſa, plus minus purulenta et cruenta, peruigilio, torminibus aliisque ſymptomatibus ſtipata, ab inteſtinorum eroſione dependens.

CXXXIII. Cruenta pariter excretio, eſt fluxus haemorrhoidalis, aſt non continua, nullo pure permixta, atque absque torminibus.

CXXXIV. Differt ab utroque fluxu cruento hepaticus, qui copioſa et frequens ſanguinis tenuis et aquoſi, loturae carnium ſimilis, absque dolore per aluum excretio eſt, a dyſcraſia ſeroſa et pororum hepaticorum laxitate dependens.

CXXXV. Paſſio colica, eſt dolor inteſtini coli, cum alui plerumque conſtipatione coniunctus, a preſſione aut uellicatione fibrarum neruoſarum excitatus.

CXXXVI. Magna inter colicam atque iliacam paſſionem intercedit aſſinitas, eademque ferme in utroque morbo obſeruantur ſymptomata; deprehendes tamen maiorem atrocitatem in iliaca, praeterea dolor ſaeuior, magisque fixus atque ab umbilici regione ſurſum uagans, cum in colica inconſtans ſit ſedes doloris, et iam ab uno ad alterum latus, ab inferioribus ad ſuperiora ſe extendat.

CXXXVII. Paſſio iliaca, grauis eſt inteſtini ilei et coeci conuulſio, cum crudeliſſimis uentris torminibus, pertinaciſſima alui conſtipatione, nauſea, ſingultu, uomitu, primum biliosſo et pituitoſo, deinceps ſtercoreo, et ſyncope, coniuncta.

CXXXVIII. Haemorrhoides coecae, ſunt tubercula uaſorum haemorrhoidalium, a ſanguine intra ualuulas intercepto et ſtagnante genita, iam cum dolore atque inflammatione, iam absque illis.

CXXXVIIII. Teneſmus, eſt aſſidua eamque maximam partem irrita aluum exonerandi cupiditas, ubi uel nihil, uel parum muci ſinceri, aut cruore permixti, excernitur, ab irritatione ſphincteris ani dependens.

CXXXX. Procidentia ani, eſt extremae inteſtini recti partis protuberantia, iam maior, iam minor, a nimia laxitate muſculorum leuatorum ortum ducens.

CXLI. Alui obſtructio, ſuppreſſam penitus, aut tardiorem fecum excretionem denotat, uel a diluentis defectu maſſae, aut inteſtinorum ſpasmis prouenientem.

CXLII. Hernia, appellatur tumor umbilici, inguinum, ſcroti, aliarumque partium abdominis, a nimia peritonei relaxatione

tione aut ruptura, omentum, inteſtina aliaque admittente, excitatus.

CXLIII. Si ad partem diſtentam et cauſam diſtendentem reſpiciamus uariae herniarum ſpecies conſtituendae, alia enim reſpectu partis dilatatae, umbilicalis, alia inguinalis, alia ſcrotalis exiſtit.

CXLIV. Cumprimis hernia umbilicalis a uariis excitata cauſis, uarias ſortitur appellationes, quae enim ab inteſtinis, enteromphalos, quae ab omento, epiplomphalos, quae ab aqua, hydromphalos, quae a flatu, pneumatomphalos, quae a carne, ſarcomphalos appellatur.

CXLV. Ad curam herniarum ſumme neceſſarius leniorum aperientium, carminatiuorum et uulnerariorum, nempe ſalis epſonienſis, florum melilotti, chamomillae, herniariae, ſaniculae, radicis ſymphyti, maſtiches, boli armenae uſus, quae externe interneque, poſt euacuatas primarum uiarum ſordes, applicari poſſunt.

CXLVI. Sin autem omentum uel inteſtina prolapſa nullatenus reponi poſſint, incommodis dehinc orituris accommodata ſuccurrendum faſcia, aut ſi iuuenis et robuſtus ſit aegrotus, tumor arte chirurgica aperiendus et conſolidandus.

CXLVII. In reliquorum affectuum, qui inteſtinis moleſtiam creant, medela, et materialis natura cauſae, et ſedes mali conſideranda; alii enim morbi inteſtinorum, nunc a ſanguine, nunc ab aliorum uiſcerum uitio ortum ducunt, alii uero a primarum uiarum cruditatibus proueniunt; alii in tenuibus, alii in craſſis inteſtinis ſedem habent; alii a uiſciditate, alii a tenuitate; alii a ſeri abundantia, alii ab illius defectu; alii ab alcalinae et bilioſae, alii ab acidae praedominio dyſcraſiae; alii a languente, alii a nimis aucto motu periſtaltico; alii a lumbricis, alii ab aſcaridibus generantur.

CXLVIII. Primum ad morbi ſedem cura dirigenda, ſi enim in tenuibus inteſtinis mali origo conſiſtat, congrua remedia per os adhibita conducunt; haec quidem pariter proſunt, ſi fomes morbi in craſſis lateat, aſt idem citius per appropriatos clyſteres remoueri poteſt.

CXLIX. Non omnes clyſteres omnibus peraeque conducunt, alii enim horum ſunt purgantes, alii emollientes, alii carminatiui, alii anodyni, alii uulnerarii, alii nutricii; purgantes, in languore motus periſtaltici, ad maſſae uiſcoſae reſolutionem; emollientes, ad feces duras diluendas, fibras rigidas relaxandas, et particulas acres imbibendas; carminatiui, ad flatus pellendos; anodyni,

ad

ad conuulſiones ſedandas; uulnerarii, ad partes laeſas conſolidandas; nutritii, in inflammatione pharyngis, ad praebendum ſuccum nutritium, commendantur.

CL. Cumprimis uero inteſtinis, uel uermes, uel flatus, uel uarii impuritates generis iniuriam inferunt; unde hic praeſertim conueniens anthelminticorum, carminatiuorum et purgantium indoles atque applicatio tradenda.

CLI. Athelmintica dicuntur omnia remedia, quae uermes necant, atque e corpore expellunt.

CLII. Anthelmintica ſpecifica atque abſolute talia adhuc deſiderantur, quia natura uermium, pro loci natalis et nutricii uarietate ſucci, diſcrepat, adeoque ea, quae uermes primarum uiarum necant, fruſtra uſurpantur ad interimendos uermes hepatis et cordis; atque ipſam mirrham, quae pro anthelmintico habetur, a uermibus eroſam atque obſeſſam inueni.

CLIII. Vermes in omnibus corporis partibus inuenti fuerunt, in ſpecie autem in uentriculo atque inteſtinis illi ſunt frequentes, et ſecundum Andry opinionem, connati.

CLIV. Vermium autem praeſentiam titillatio et roſio in canale alimentorum, eorumque per os atque aluum reiectio probat.

CLV. Sic dicta anthelmintica duplicis ſunt generis, necando alia, alia expellendo, deſideratam perficiunt operationem; ex eorum numero, quae uermes interimunt, ſunt oleoſa, quae obſtruendo uermium tracheas, eosdem uita priuant; hinc oleum oliuarum, amygdalarum dulcium, aliaque ore hauſta, uel clyſmatis forma adhibita, ad curandum teneſmum, aliaque ab aſcaridibus orta mala, proſunt.

CLVI. Idem praeſtant, atque eodem modo operantur mellita, quorum effectus certior erit, ſi eadem, euacuato et purgato canale alimentorum, ieiuno ſtomacho, adhibeantur.

CLVII. Alia ratione uermes laedunt remedia acria, mercurialia, metallorum uitriola; illa enim pungendo, contundendo, totam uermium compagem deſtruunt, augendoque motum periſtalticum, excretionem promouent.

CLVIII. Atque haec uis in omnibus purgantibus atque emeticis deprehenditur, nec aloetica aliaque amara hic peculiarem prae aliis habent uirtutem.

CLIX. Carminatiuum remedium eſt, quod flatus una cum doloribus hinc generatis inteſtinorum tollit.

CLIX.

CLX. Sunt autem flatus, aer craſſior, elaſticus, miaſmatibus ſulphureis inquinatus, ex uiſcoſa ciborum materia, adiuuante bile, euolutus et genitus.

CLXI. Flatus quoque, niſi copia excedant, ſuum in inteſtinis praeſtant uſum, ſua enim ui elaſtica, dilatando inteſtina, periſtalticum motum augent, et feces protrudendo, alui excretionem adiuuant.

CLXII. Aliter idem eſt comparatum, ſi inteſtinorum tunicae ab excedente flatuum copia nimis diſtentae, omnem uim et tonum ſe libere contrahendi amittunt, et hinc ſpaſmi excitantur, aluus conſtipatur, dolores uehementes generantur, uti idem in colica flatulenta obſeruamus.

CLXIII. Mira certe flatuum incluſorum in uariis iisque grauiſſimis malis excitandis uis eſt et potentia; hoc colicae flatulentae et hanc ſequentium exemplo ſymptomatum demonſtrari poteſt; hic enim flatus incluſi, nec per inferiora, nec per ſuperiora liberum inuenientes exitum, oeſophagum nimis extendendo, aſperam comprimunt arteriam, et ſuffocationis metum inducunt; ex iis autem patet, quae adſit ratio, cur clyſteres hic praeſentiſſimam ferant opem.

CLXIV. Habenda igitur, in flatibus diſcutiendis, ſpaſmorum ratio, qui quippe flatuum exitum impediunt; illi autem ſpaſ-

mi, nunc ab inaequali ſuccorum motu, nunc a particulis acribus, nunc a uiſcoſis dependent, unde quoque uarianda, pro allegatis cauſis, carminatiua.

CLXV. Praeſtantiſſima carminatiua, ſunt laxantia, praeſertim, ſi dolores a flatibus excitatos alui obſtructio comitetur; econtra, ſi tormina cum diarrhoea ſint coniuncta anodyna atque abſorbentia potius adhibenda.

CLXVI. Semen carui, zedoariae, aniſi lauri, et ex his parati ſpiritus et eſſentia non habent ſpecificam uirtutem flatus diſcutiendi, ſed ſalium uolatilium oleoſorum more, uiſcoſam maſſam reſoluendo, operantur, quae potentia quoque in ſpiritu nitri dulci, carminatiuo Syluii, Mynſichti, aliisque huiusmodi remediis deprehenditur.

CLXVII. Si flatuum copia negotium facessat, modo commemoratis carminatiuis praemittantur clyſteres emollientes, aut laxantia oleoſa, quo flatus libere expelli queant.

CLXVIII. Optima quoque carminatiua ſunt purgantia, in ſpecie, ſi collectae in inteſtinis cruditates flatibus fomitem et materiam praebeant.

CLXIX. Purgantia in fortiora, medicria, et leniora, quae ἐκκοπροτικὰ dicuntur diſtinguenda, quorum alia reſinoſa, ſale acri inſtructa

inſtructa, alia mere ſalina; alia ſalino-alcalina, alia acida; alia emollientia, alia ſtimulantia ſunt.

CLXX. Per purgantia enim illa intelliguntur medicamenta, quae uiuo corpori uel interne, uel externe applicata impuritates per inteſtinum rectum euacuant.

CLXXI. Eccoprotica uero appellantur remedia mitiora, quae excretionem alui languentem promouent, et praeter primarum uiarum contenta, uix quidquam ex aliis partibus expurgant.

CLXXII. Purgantia non modo uentriculi atque inteſtinorum ſordes, ſed ſaliuam quoque, limpham gaſtricam, bilem, ſuccum pancreaticum, mucum inteſtinorum, ipſumque ſanguinem expellunt.

CLXXIII. Purgantia, fortiter ſtimulando, reſiſtentiam in uaſis uentriculi atque inteſtinorum minuunt, unde uberior ſuccorum affluentium quantitas recipitur et ſecernitur.

CLXXIV. Nulla proſtant purgantia, quae innata quadam proprietate peculiaria corporis organa, caput ſcilicet, pectus, uterum, aliasque partes reſpiciant, atque ex illis in ſpecie materiam peccantem, uti uulgo de pilulis ſic dictis cephalicis perſuaſum, eliciant.

CLXXV. Nec determinatus humor a determinato remedio educitur, nullaque, ex mente ueterum, dantur ſpecifica cholagoga, hydragoga, phlegmagoga, melanagoga.

CLXXVI. Maximum tamen inter purgantia diſcrimen intercedit, nec quaeuis quibusuis aequaliter proſunt, ideo appropriata ſunt ſeligenda, eaque in conuenienti doſi et uehiculo praeſcribenda.

CLXXVII. Ad felicem uero promtamque purgantium operationem, primum uia aperta et lubrica, deinceps fibrarum ſpiralium et longitudinalium contractio, porro motus organorum reſpirationi inſeruientium auctus, denique materiae excernendae praeſentia, et tandem eiusdem praeparatio requiruntur.

CLXXVIII. Nunquam, niſi ſufficientia adſint indicantia, adhibeas purgantia; nec fortioribus, niſi urgente neceſſitate, utaris.

CLXXIX. Praecipuum purgationis inſtituendae indicans eſt, uariarum congeries cruditatum, quae tubum inteſtinorum obſident, et tranſeuntem chylum inquinant.

CLXXX. Selectiora et maxime uſitata purgantia ſunt, aloe, rhabarbarum, folia ſennae, radix et reſina gialappae, reſina ſcam-

ſcammonei, ſal epſonienſe, pulpa tamarindorum, caſſiae fiſtulae, manna, hermodactyli, acidulae, thermae.

CLXXXI. Haec purgantia ex catalogo mediocrium et mitiorum ſunt, his longe fortiora, ſequentia deprehenduntur, colocynthis et ex hac parati trochiſci alhandal, helleborus niger, eſula, elaterium ſeu ſuccus cucumeris aſinini, gratiola, ſoldanella, gummi guttae, grana tigliae, mercurius dulcis, cryſtalli lunae.

CLXXXII. His remediis, quorum modo facta mentio, nec non aloeticis ac reſina gialappae et ſcammonei, non niſi in ſubiectis, quorum fibrae maxime debiles et flaccidae, ac maſſae ſeroſae et uiſcoſae copia preſſae, ad illarum impuritatum expurgationem haud ſufficienti robore inſtructae ſunt, atque ea de cauſa hydrope aliisque morbis chronicis laborant, uti debemus.

CLXXXIII. Egregium remedium purgans, ad maſſae uiſcoſae reſolutionem, expurgationem et obſtructarum reſerationem partium, ex mercurii dulcis granis quindecim, reſinae gialappae granis duodecim, et trochiſcorum alhandal grano uno, in pilulas per uitellum oui redactis, confici poteſt.

CLXXXIV. Similis uinum uirtutis praebent fibrae hellebori nigri, rhabarbarum, et radix uincetoxici, uino macerata, quod poſt uiginti quatuor horarum digeſtionem, ad

hydropis curam, aluum et ſudorem mouendo, praeſtantiſſimum eſt remedium.

CLXXXV. Inter cetera purgantia rhabarbarum medico debet commendatiſſimum eſſe, quod uel ſolum pulueriſatum, uino dilutum hiſpanico, uel cum ſale epſonienſi coniunctum a drachma dimidia ad totam exhibetur.

CLXXXVI. In iis uero, in quibus immeabilis excedit pituita, melius et citius operantur ſalia, ex quorum numero eſt ſal epſonienſe, quod ab uncia dimidia ad totam, aqua ſolutum ſimplici, praeſentiſſimum conſtituit purgans.

CLXXXVII. Hoc, ceteraque iam adducta remedia nimis uehementia illis erunt, qui maſſae ſalino-alcalinae et bilioſae exceſſu laborant; his enim pulpa tamarindorum, cremor et cryſtalli tartari potius conuenient.

CLXXXVIII. Ac iisdem quoque, in febribus continuis, ſi aluus conſtipata negotium faceſſit, uti debemus; in huius enim morbi augmento et ſtatu quaeuis purgantia fortiora nocent, eaque ſaltem, ſi ſufficientia adſint indicantia, in principio adhibenda.

CLXXXIX. Varia uero, ad actuandam purgantium operationem, ſubſidia requiruntur,

runtur, tollenda igitur omnia, quae uim purgantium infringunt, aut penitus impediunt; primum impedimentum in uia, per quam feces exire debent, occluſa, conſiſtit; occluditur autem, uel inteſtinorum culpa, quando una illorum pars alteram ingreſſa eſt, aut eadem paralyſi laborant; uel culpa fecum, quando eaedem nimis indurantur, atque ad excretionem minus aptae exiſtunt.

CLXXXX. Cum deinceps, ob ſiccitatem ſerique lubricantis defectum, haud raro in ſubiectis ſiccioribus, purgantium operatio impediatur, iisdem diluentia atque emollientia, quae ex infuſo lactucae, Thee Boy, iuſculis auenaceis, melle, oleo oliuarum et ſimilibus parari poſſunt, praemittenda.

CLXXXXI. Longe alia neceſſaria ſunt, ſi motus inteſtinorum periſtalticus languet, et fibrarum ſpiralium, quae inteſtina ambiunt, contractio retardatur; tunc enim fructus horaei, aromata, et quaeuis, quae uulgus medicorum cardiaca appellat, uſurpanda.

CLXXXXII. Res periculi plena eſt, ſi ab introitu unius inteſtini in alterum, purgantium operatio impeditur, reconualeſcentiae tamen ſpes ſupereſt, ſi pars inferior ſuperiorem intrauerit; tunc enim mercurii ui-

ui, aut pilularum plumbearum, uel antimonialium ex regulo confectarum, cum oleo amygdalarum dulcium deglutitarum adiumento, adhibita ſimul ſufficienti corporis agitatione, inteſtina denuo extricari poſſunt.

CLXXXIII. Periculoſior omnino ſtatus eſt, quando pars ſuperior inteſtini inferiorem intrauit; tunc duo ſaltem ſuperſunt remedia, primum nempe, ubi mediante folle, ſecundum Hippocratem, (m) aer calidus, uel peculiaris beneficio inſtrumenti, ſecundum Deckervm, (n) fumus herbae nicotianae in anum inflatur; deinde, ſi his nihil efficimus, atque aegrotus robuſtus ſit, et aliter ſeruari nequeat, ex conſilio Barbette, (o) ſuſcepta muſculorum abdominis et peritonei ſectione, inteſtina in priſtinum naturalemque ſitum reponenda.

CLXXXIV. Quandoque uiſcida et tenax excedit materia, eaque mitiora purgantia eludit, et nonniſi fortioribus mouetur; unde unicuique, quod naturae ſolidorum et fluidorum illius conueniat, dandum.

CLXXXV. Cum autem aliae cruditates aliis facilius moueantur, et his ſola ſufficiant

(m) Lib. 3. de morbis text. 4. §. 24. conf. Zacutus Luſitanus lib. 2. Pract. Admir. obſ. 28. p. 199. et ſeqq. (n) In Exercit. Pract. p. 705. (o) Oper. Pr. Med. p. m. 206. et Pr. Chirurgica p. 511. §. 3.

ficiant eccoprotica, illis econtra ſic dicta panchymagoga, uel phlegmagoga ſint neceſſaria, paucis eccoproticorum ſpecies et uſum examinabimus, et deinceps in quo ſenſu ſpecifica purgantia approbanda ſint, demonſtrabimus.

CLXXXXVI. Eccoprotica optime in duas claſſes diuiduntur, 1) in emollientia et lubricantia, 2) in leniter ſtimulantia.

CLXXXXVII. In prima claſſe ea continentur, quae feces craſſiores diluendo, et membranas inteſtinorum lubricando, aluinam promouent excretionem; talia ſunt, aqua ſimplex, aquae minerales, ſpadanae, granenſes, pirmontenſes, egrenſes, lac, ſerum lactis, lac ebutyratum, butyrum, medulla et iuſcula animalium pinguia, oleum recens amygdalarum dulcium, oliuarum, piſtacearum et ſimilia, fructus dulces et pingues, ficus, paſſulae maiores et minores, iugubae, manna, mel, ſacharum, caſſia, decoctum maluae, athaeae, uerbaſci, lactucae aliaque ex his parata, et uel fomenti, uel clyſmatis, aut alia forma interne externeque applicata.

CLXXXXVIII. Haec remedia plus ſaepius praeſtant, quam fortiſſima purgantia, atque eorum operationem nunquam aluus conſtipata excipit, et praecipue iis, quorum fibrae

fibrae rigidiores atque aridiores ſunt, et qui ob feces ex ſeri defectu induratas, alui conſtipatione laborant; iis econtra, quibus tunicae canalis alimentorum lubricae et flaccidae, ac quibus in toto corpore limpha abundat, haec remedia minus conducunt.

CLXXXXIX. Altera claſſis eccoproticorum continet ea, quae leniter ſtimulando inteſtina, aluum aperiunt, apertamque ſeruant; huc praeter mel, ſacharum, mannam et caſſiam, pertinent ſalia plantarum, cremor tartari, cryſtalli tartari, tartarus uitriolatus, nitrum indicum, depuratum, antimoniatum, arcanum duplicatum et alia ſimilis remedia indolis.

CC. Magna eſt horum remediorum utilitas in iis, quorum inteſtina debilia ſunt, atque infarctu et obſtructione laborant, praeſertim, ſi materia craſſior in inteſtino colo haereat; praeſcriptis enim in tali rerum ſtatu fortioribus purgantibus, uehementes in inteſtinis motus, cum eadem liberam uiam non inueniant, oriuntur, et hos, uomitus, paſſio colica et hyſterica ſequuntur; adeoque maxime proficuum, modo commemoratis eccoproticis, ſucceſſiue et paulatim feces duras diſſoluere, et leniter irritando inteſtina, earum excretionem promouere.

CCI. Haec uero fruſtra in hydrope, leucophlegmatia aliisque ſimilis genii morbis

bis adhibentur; hic enim ſic dicta phlegmagoga praeſcribenda ſunt.

CCII. Phlegmagoga uero, illa dicuntur remedia, quae limpham craſſam et tenacem reſoluunt atque e corpore per anum expellunt.

CCIII. Diſtinguunt a phlegmagogis hydragoga, eaque appellant remedia purgantia, quae ſerum tenue euacuant.

CCIV. Sialagoga dicuntur illa remedia, quae ſerum tum tenue, tum uiſcidum, per uberiorem ſaliuae profuſionem, remouent.

CCV. Phlegmagoga in tres claſſes diuidenda ſunt; alia enim 1) diluendo et reſoluendo, alia 2) irritando atque attenuando, et alia 3) partes laxas corroborando, pituitae conquaſſationem atque expurgationem promouent.

CCVI. Varia phlegmagoga uaria pituitae origo requirit, ſi enim per uehementem ſolidorum attritum, et ſalis acris reſoluentis exceſſum, tenue ſerum fuit diſſipatum, et reſidua limpha inſpiſſata, phlegmagoga primae claſſis, nempe diluentia et reſoluentia conducunt.

CCVII. Huius indolis ſunt, decoctum betonicae, ueronicae, in quo manna uel caſſia ſoluta, aqua mulſa, infuſum capillorum ueneris cum ſapone Veneto, decoctum

ctum paſſularum minorum et foliorum ſennae, clyſteres ex aqua calida et floribus meliloti et ſambuci praeparati.

CCVIII. Allegata remedia, praecipue in pituitam, diluendo, agunt, et hoc modo eandem tenuiorem reddunt, atque ad excretionem diſponunt, quae, ſi non ſequatur, maiore addito ſtimulo, aut partibus laxioribus confortatis, promouenda.

CCIX. Fortiora igitur ſubſidia ex ſecunda claſſe petenda, talia nempe, quae motrices inteſtinorum fibras irritando, motum periſtalticum augent, cuius ope pituita preſſa, contrita et reſoluta, in ſubtiliores partes diuiditur, protruditur atque expellitur.

CCX. Ad hanc claſſem referenda ſunt quaeuis purgantia fortiora et mediocria, quae ſale plus minus acri inſtructa fibras inteſtinorum in crebriores contractiones excitant, adeoque huc reſina gialappae, ſcammonei; mercurius dulcis, agaricus, euphorbium, myrobolanorum ſpecies, aloe et plura alia, quorum iam facta mentio.

CCXI. Sin autem pituitae generatio a naturali uiſcerum, praeſertim canalis alimentorum laxitate et debilitate proueniat, prae omnibus adſtringentia remedia maxime proficua erunt; roboratis enim per eadem

dem fibris motricibus, et aucta earum contractione, quicquid uiſcidi ineſt, reſoluetur atque eliminabitur.

CCXII. Et hac ratione cortex chinae, mars ſubtilisſime pulueriſatus, tinctura martis cydoniata, radix tormentillae aluum non modo aperiunt adſtrictam, ſed magnam quoque pituitae copiam euacuant.

CCXIII. Optima igitur methodus curandi morbos ex pituitae copia et tenacitate ortos erit; 1) maſſam immeabilem diluentibus, ſalinis et ſaponaceis ad excretionem aptam reddere, et 2) fortius purgans in parciore doſi, repetitis uicibus, adhibere, et 3) fibras debiles ab onere pituitae liberatas corroborare, ac in debito tono conſeruare.

CCXIV. Eadem fere eſt hydragogorum natura, eaque pariter ad duas claſſes reuocari poſſunt; 1) continet remedia, quae irritando inteſtina, ſeri in canale alimentorum ſecretionem atque excretionem promouent; 2) ea tradit, quae ſanguinem diluunt, ſoluunt, copioſo ſero imbuunt, eiusque ad inteſtina affluxum et ſecretionem promouent.

CCXV. Primae medicamenta claſsis interiori inteſtinorum membranae applicata, eandem, inſtar ueſicatorii lenioris, in ueſi-

cas

cas attollunt, easque poſtea, acris, quo abundant, ſalis ope, diſſoluunt, unde continua ſeri profuſio contingit.

CCXVI. Eo, nec alio modo, uenenum, quod choleram et dyſenteriam excitat, in canalem alimentorum agit, unde non indoles ſaltem huius ueneni, ſed antidotus quoque et methodus medendi conueniens in apricum deducitur.

CCXVII. Hydragoga autem iam allegata duas conditiones obtinere debent; primo enim in illis requiritur ſal tenue atque acre; deinceps neceſſarium eſt uehiculum gummoſum aut reſinoſum, quo ſal uolatile debet obuolutum eſſe, ne totum ſimul et ſemel, ſed pedetentim exhalans nullum afferat detrimentum.

CCXVIII. Huiusmodi hydragoga regnum uegetabile partim, partim minerale ſuppeditat; ex uegetabilibus commendantur, radix mechoacanna, gialappa, ſummitates et cortex medius ebuli, ſpina cathartica, uel rhamnus catharticus, et ſuccus ex baccis illius expreſſus, ſoldanella, gratiola, iris paluſtris, eſula, gutta gambodia, elaterium ſeu ſuccus cucumeris aſinini.

CCXIX. In numerum hydragogorum, quae ex regno minerali deſumuntur, referenda ſunt, pilulae lunares, mercurius dulcis, mercurius praecipitatatus albus, mer-

mercurius praecipitatus ruber, mercurius praecipitatus flauus, mercurius praecipitatus uiridis, uitriolum commune, uitriolum ueneris, uitriolum martis, uitriolum lunae.

CCXX. Non credendum, haec remedia, ſpecifica quadam uirtute in pancreas, lienem, inteſtina aliaque uiſcera operari, et ſerum acre euacuare, ſed eadem, quorumuis acrium more, idem perficiunt; acrimoniam autem horum remediorum ſapor admodum penetrans, ardor, quem faucibus inducunt, ueſiculae, quas excitant, dolor urens, ſi uulneribus applicantur, et analyſis chymica demonſtrant.

CCXXI. Hydragoga ſecundae claſſis ſunt ea, quae ſanguinem in liquidum ſeroſum diſſoluunt, et ſolutum uelocius mouent, eiusque ad inteſtina affluxum promouent, quo maiori copia in apicibus arterioſis per totum inteſtinorum tractum diſpoſitis ſeparari queat.

CCXXII. Hoc autem, quod in allegata hydragogorum ſpecie deſideratum, triplici modo perfici poteſt, 1) iniectione infuſi, ex croco martis, ſenna, rhabarbaro, praeparati, in animantis thoracem uel uenam, ut experimenta apud Anglos, Gallos et Italos inſtituta demonſtrant; 2) applicatione externa remediorum mercurialium; 3) rigore externo et tranſpiratione ſuppreſſa.

CCXXIII. Ex his, quae ſit cauſa diarrhoeae et dyſenteriae epidemicae autumnali graſſantis tempore, perſpicimus; mutato enim aere calido in frigidum et humidum, inſenſibils tranſpiratio ſupprimitur, ſerumque acre ad inteſtina corriuatum et uberius ſecretum, non frequentiores ſaltem deiectiones, ſed eroſiones, conuulſiones et uehementiſſima tormina excitat.

CCXXIV. Nulla dehinc praeſtantiora remedia, quam diaphoretica habemus, quae omni, in tali diarrhoea et dyſenteria, indicationi, ſatisfaciunt, et haec quoque eſt ratio, cur tanta utilitas, tantusque opiatorum in praeſenti caſu eſt uſus.

CCXXV. Conducunt autem ea, quae antecedentibus theſibus allegaui, hydragoga, in omnibus illis morbis, qui a uiſcerum et fibrarum, ex quibus componuntur, laxitate et debilitate, ſeri abundantia et uiſciditate, ac humorum extrauaſatione et ſtagnatione ortum ducunt.

CCXXVI. Eadem econtra ſubiectis biliosis et ſiccioribus nocent, atque in illis nimiam excitant purgationem; praeterea eadem in inflammatione, paſſione hyſterica et malo hypochondriaco minus conducunt.

CCXXVII. Differunt a hydragogis cholagoga, in paucis uero ſcriptis medicis ac-

cu

curatam eorum deſcriptionem deprehendimus, ac errores, quos in iisdem explicandis commiſerunt ueteres, multi recentiorum retinuerunt.

CCXXVIII. Veteres duplicem conſtituebant bilem, flauam atque atram, hanc ex liene, illam ex hepate deriuabant; alia dehinc eſſe medicamenta, quae flauam, ſeu hepaticam, alia, quae atram ſeu ſplenicam bilem expurgent, aſſerebant, illaque cholagoga, et haec melanagoga uocabant.

CCXXIX. Praecipuum huius diſtinctionis fundamentum, ab innata, qua certa remedia certa uiſcera reſpicere credebant, et a uario fecum excretarum colore, deſumtum, ſed hac methodo multa in catalogum cholagogorum et melanagogorum referebantur, quae bilis tum acrimoniam, tum copiam augebant, et multa e cholagogorum numero excludebantur, quae reuera erant cholagoga.

CCXXX. Minime enim eadem pro cholagogis habenda, quae flauo feces tingunt colore, conſtat enim, caſſiam parua ſumtam quantitate feces aluinas urinamque croceo tingere colore. Quo minus uero hoc bili euacuatae, uel ſpecificae caſſiae bilem expellendi uirtuti tribuatur, conſiderandum, quod caſſia in maiori ſumta doſi ui-

ridem, et aucta adhuc illius quantitate, nigrum penitus efficiat colorem.

CCXXXI. Ita quoque a manna flaueſcunt feces, quae minus cholagogi titulum promeretur; et rhabarbarum, quod uulgus poſt uehementiorem mentis commotionem, ad bilis correctionem atque euacuationem, adhibet, potius materiam bilioſam exaſperat et auget, quam diminuit.

CCXXXII. Repudiato igitur ueterum de ſpecificis cholagogis errore, eadem ad duas reducemus claſſes, quarum prima ea comprehendit, quae attenuando ſanguinem, cumprimis hepaticum, uberiorem bilis ſecretionem promouent.

CCXXXIII. Altera cholagogorum claſſis ea tradit, quae diaphragma, uentriculum totumque abdomen uehementer mouendo hepar et ueſiculam felleam concutiunt, bilemque ex illis in inteſtina propellunt, ex quibus per ſedes crebriores, ſub forma diarrhoeae bilioſae, eliminatur.

CCXXXIV. Ad primam claſſem pertinent omnia ſaponacea tam naturalia, quam artificialia, ut ſuccus ceraſorum, mororum baccarum ſambuci, ſuccus lychnidis, caſſia tamarindi, myrobalani, ſyrupus quinque radicum aperientium, et alia, quae eandem cum allegatis habent indolem.

CCXXXV

CCXXXV. Ad alteram claſſem referenda emetica et purgantia fortiora, quae excitato in uentriculo motu uehementiore et conuulſiuo, coucuſſoque uiolenter diaphragmate, ſuccumbens hepar premunt, bilemque exprimunt atque ad inteſtina amandant; talia ſunt tartarus emeticus, uinum emeticum ex croco metallorum paratum, folia aſari, ceteraque emetica et purgantia antimonialia et mercurialia.

CCXXXVI. Horum remediorum in hepatis obſtructione impeditaque bilis ſecretione magna eſt utilitas; hiſce uero ſemper praemittenda erunt infuſa diluentia et reſoluentia ex ueronica, betonica, agrimonia, ſaluia et fumaria, parata,

CCXXXVII. Vti autem allegata cholagoga perquam congrua in obſtructionis principio, ita ab iis, praeſertim emeticis, penitus abſtinendum, quando cretaceae et ſolidiores concretiones hepatis tubulos obſtruendo, irreſolubilem conſtituunt ſcirrhum.

CCXXXIIX. Hic certe alio procedendum modo, et ſi adhuc quaedam reſtitutionis ſpes affulgeat, aperientia atque emollientia exhibenda; dehinc ex ſapone Veneto pilula piſi magnitudinem habens, quauis hora de die deglutiatur, et ſimul unciae aliquot infuſi ex capillis ueneris et

 pul-

pulmonaria parati, hauriantur, quo materia terreſtris emolliatur et diſſoluatur, hoc peracto, generoſius demum emeticum exhibeatur, ut materia ſoluta per abdominis compresſionem et hepatis concusſionem exprimatur atque ad tubum inteſtinorum protrudatur.

CCXXXIX. Sic dicta cholagoga cholericis maxime pernicioſa ſunt, nimisque irritando, ſerumque tenue aufferendo, maſſae uiſcidae et acris coaceruationi anſam praebent.

CCXL. Ex ueterum pariter praeiudicio, affirmantium, lienem, eſſe melancholiae ſeu atrae bilis officinam, melanagoga ortum duxerunt; quemadmodum uero duas atrae bilis ſpecies conſtituebant, primum lienis, cuius originem a ſanguine melancholico deriuabant, alteram hepatis, quam a bile flaua exaſſata deducebant, ſic quoque duas melanagogorum claſſes habebant.

CCXLI. In prima claſſe continentur ea, quae humorem melancholicum ex liene per inteſtina dicuntur expurgare; altera tradit remedia bilem hepaticam, ſeu potius cyſticam crasſiorem, per eandem uiam euacuantia.

CCXLII. Ex ipſa autem partium corporis connexione et quotidiano praxeos exerci-

citio conſtat, quod uſu purgantium totum corpus humanum, adeoque etiam lien et hepar per aluum depurari queant; at enim uero, uti haec rationi penitus congrua, ita maxime abſonum, aſſerere: dari remedia, quae in ſpecie hoc uel illud uiſcus, hepar lienemque ſaltem reſpiciant, certasque duntaxat impuritates ex eodem eliciant atque euacuent.

CCXLIII. Adeoque nulla purgantia electiua melanagoga, hoc eſt talia, quae melancholiam, reliquis cruditabus intactis, ex hepate ſolum lieneque, aliis uiſceribus non commotis, expellant; agunt enim eadem primum in canalem alimentorum et ſuccos in eodem contentos, et deinceps per neruos in omnia, quae adſunt, corporis liquida, ubi deinceps illud, quod magis fluxile atque ad excretionem magis praeparatum, prae reliquis citius exterminatur.

CCXLIV. Ex hoc fundamento conſtat, ſic dictis melanagogis male tribui uirtutem, atram expurgandi bilem; expendamus uires polypodii quercini, lapidis lazuli, Armeni, ſmaragdi, ſapphiri, uitrioli et ſimilium remediorum, quae ueteres inter melanagoga referebant, haec omnia in illis, in quibus nigra craſſaque bilis peccat, ſuccos magis incraſſando et condenſando, nocere,

animaduertemus. Nec aliquid ex atro excrementorum colore, horum remediorum uſum ſequente demonſtrari poteſt, cum eadem res quasuis nigras reddant.

CCXLV. Optima remedia melanagoga duco eſſe, 1) leniora ſtimulantia, quale, nitrum, cremor tartari, cryſtalli tartari, arcanum duplicatum; 2) diluentia atque emollientia ex althaea, malua, lactuca, portulaca, endiuia, floribus uerbaſci, roſarum, uiolarum, acetoſae et ſimilibus parata, et uel per os, forma infuſi aut decocti, uel per aluum, clyſmatis forma, adhibita, quibus maſſa bilioſa admodum tenax et terrea dilui, fluxilis reddi atque expurgari poteſt.

CCXLVI. Ea remedia, quae ex ueterum mente, uirtutem ſpecificam, quasuis cruditates, pituitoſas, ſeroſas, bilioſas, acidas, alcalinas, atrabiliarias euacuandi obtinebant, panchymagoga appellabantur.

CCXLVII. Panchymagoga ſpecifica, quae absque corporis detrimento, ex tota machina, omnis impuritates generis, non euacuatis ſimul ſuccis laudabilibus, expurgent, adhuc deſiderantur.

CCLIIX. Panchymagogum igitur Crollii aliaque penetrantioris purgantia naturae, non cruditates ſaltem, ſed ſimul quoque limpham alibilem, aliasque bonae indolis

par-

particulas expellunt; et hoc non fortiora duntaxat, uerum quaeuis etiam mediocria et mitiora purgantia in maiori praeſcripta doſi praeſtant.

CCXLIX. Quorumuis purgantium in omnibus inteſtinorum morbis curandis amplisſimus eſt uſus, non omnia tamen ſemper atque ubique conducunt, nec eadem ſola ſufficiunt.

CCL. Multo minus ſic dictis ſpecificis, quae ad colicae, diarrhoeae, dyſenteriae, iliacae aliorumque ſimilium, qui in inteſtinis haerent, morborum curam, commendantur, promiſcue fidendum.

CCLI. Particularia, nequaquam uniuerſalia, et arcana minime aeſtimanda, plurima colicae antidota ſunt, quicquid etiam AETIVS (p) de menthae uiridis decocto per tres dies hauſto; AGRICOLA (q) de tinctura tartari et ſpiritu nitri; BLOKKWIZIVS (r) de ſpiritu baccarum ſambuci; PETR. BORELLVS (s) de iuſculo cum allio et oleo oliuarum deglutito; CRATO (t) de ueronica; FONTANVS (u) de puluere glan-

(p) Tetrabibl. 3. ſ. 1. c. 29. et 31. (q) Comment. in Popp. Tr. de tartaro p. m. 685. et Tr. de Nitro p. 804. (r) Anat. ſambuci ſ. 3. c. 22. (s) l. obſ. Med. Cent. 4. obſ. 25. 92. (t) Conſil. Med. 10. l. 1. (u) Pr. Med. l. 3. c. 27.

glandium ſiccatorum; Caldere de Heredia (w) de ſpongia roſarum ſylveſtrium, aliique de caſtoreo, corticibus aurantiorum, ſtercore lupi afferant et praedicent.

CCLII. Non derogandam putamus allegatis remediis promeritam laudem et uim colicam curandi paſſionem, ſed hoc ſaltem impugnamus, quod unum alterumue remedium in omni dolore colico conducat; uarius enim ſenſus doloris colici uariam indicat materiam peccantem, uaria materia peccans uaria poſtulat remedia, quod igitur in hoc colicam curat, illud in eo dictum affectum excitat.

CCLIII. Hoc ſedulo quoque in diarrhoea, dyſenteria ceterisque alui fluxibus obſeruandum, alii enim eorum critici, alii ſymptomatici ſunt, alii a bilis abundantia atque acrimonia, alii a ſuccorum exceſſu, alii a defectu, alii ab impenſa ſolidorum ui elaſtica, alii ab eorum laxitate generantur.

CCLIV. Quo igitur applauſu, uulgaris et ordinaria methodus medendi, primum purgantia, deinde adſtringentia, praeſcribens, qua plurimi in diarrhoea et dyſenteria curanda utuntur, ſit ſuſcipienda, hinc ſatis ſuperque liquet.

CCLV.

(w) Obſeru. med. lib. 2. p. 278.

CCLV. Purgantia certe, inter quae praecipue rhabarbarum laudatur, et ſimilis remedia genii, non niſi in diarrhoea pituitoſa et critica conueniunt; econtra in diarrhoea biliosa, aut ab acris alcalini exceſſu ſalis prouveniente, haec augendo materiam peccantem, penitus obſunt.

CCLVI. In eadem igitur, quaeuis acria et ſtimulantia fugienda, nec adſtringentia, quae materiam peccantem retinendo, grauiora excitant ſymptomata, uſurpanda, ſed horum loco potius diluentia, oleoſa, mucilaginoſa et abſorbentia, qualia ſunt iuſculum ex auena trita paratum, iuſculum pingue carnis uitulinae, gallinarum, oleum amygdalarum dulcium, tinctura florum bellidos, lapides cancrorum ſucco citri ſaturati, aliaque ſimilis farinae remedia praeſcribenda.

CCLVII. Haud raro autem diarrhoea et dyſenteria a ſuppreſſa tranſpiratione inſenſibili ortum ducit, in quo caſu frictione, caloris externi beneficio, et accommodatis diluentibus et reſoluentibus, iisque, qui praecipue inteſtina roborando, ſuccorum ad corporis ſuperficiem affluxum determinant, tranſpiratio inſenſibilis et ſenſibilis reſtituenda et promouenda; hic praeter eſſentiam opii uino canarienſi paratam, et cum aequali tincturae balſami peruuiani, ſeu ſpiritus bezoardici tertia parte iunctam, clyſter ex lacte, uitellis

tellis ouorum et parciore therebintinae Venetae quantitate conducit.

CCLVIII. Nec infrequens eſt in ſexu ſequiore dyſenteria, eo tempore, quo menſes erumpere ſolent, ac cum ſanguis nimiam in uaſis uterinis reſiſtentiam inueniat, haud raro per apices arterioſos inteſtinorum transit, et ob acrimoniam, quam iam habet, uel in inteſtinis contraxit, eroſionem, exulcerationem et grauiſſima tormina excitat; hic certe ante omnia ſufficiens ſanguinis quantitas per uenae ſectionem euacuanda, et deinceps balſamicis et terreis particulae acres abſorbendae, atque inteſtinorum membranae muniendae, quo tum affluxus temperetur, tum ulterior inteſtinorum irritatio impediatur.

CCLIX. Secundum methodum iam praeſcriptam reliqui inteſtinorum morbi curandi, atque in eo, tum ad originem et ſedem mali, tum ad materiae peccantis naturam reſpiciendum; de inflammatione enim, exulceratione, paralyſi et ſpaſmis inteſtinorum; generalia praecepta, in circuli ſanguinis et ſyſtematis neruoſi explicatione, ſuppeditantur.

Capvt

Capvt. IV.

DE SANGVINE, HVIVSQVE CIRCVITV ATQVE INSTRVMENTIS.

I.

Sanguis eſt liquor uitalis, rubicundus et heterogeneus, per totum circulans corpus, ex chylo, attritione et ſolutione praeparatus, a quo omnes reliqui ſucci, excepto chylo, ſeparantur.

II. Hanc chyli in ſanguinem transmutationem negat Bontekoe, (x) aſſerens: ſanguinem, nihil aliud eſſe, quam chylum ſeu lac rubicundo tinctum colore.

III. Quo uero ſuum dogma confirmet, 1) nullas dari partes ſanguineas, omnesque chylo, minime ſanguine nutriri affirmat; 2) a nemine enodatum eſſe, quo modo ſanguificatio fiat; 3) ſanguinem ſaepius aqua dilutum ſolam maſſam craſſam, chylo ſimilem, relinquere, eandemque, a ſanguine quoque e ſecta uena miſſo, affuſa aqua calida, ſeparari.

IV. Sed nihil noui, praeter nomen, attulit Bontekoe, nec ullam ingenii iudicii-

(x) lib. uernac. de uita, ſanitate, morbis et morte hominis §. 21. et 22. p. 31. et ſequ.

ciique uim in commemorata ſententia de-
prehendimus; quae quaeſo, utilitas in theo-
riam et praxin medicinae redundat, ſi li-
quorem in uaſis ſanguineis contentum, no
amplius ſanguinem, ſed chylum rubicund
tinctum colore appellamus; cur non etiam
bilem et urinam, chylum flauo citrinoqu
imbutum colore dicimus, uterque enim li
quor a ſanguine chyloque originem habet.

V. Nec tanti ſunt rationes, quas Bon-
tekoe attulit, ut his aliquid euinci queat
quis enim eo, quo uixit allegatus auto
tempore, adhuc partes ſolidas in ſanguinea
et ſpermaticas diſtinxit? plures certe ori
ginem ſolidorum ex cryſtallina et gelati
noſa ouuli limpha agnoſcebant, et hoc mo-
do quasuis partes, eadem e ſanguine ſecreta
nutriri, et ad debitam prouehi magnitudi
nem, ſtatuebant.

VI. Quod attinet ſanguificationis funda-
mentum, idem quidem non in peculiari ui
ſanguificatoria hepatis, cordis et pulmo-
nis, aut ſpiritus cuiusdam, conſiſtere, arbi-
tramur, ſed hoc a chyli in uaſis ſanguiferis
attritu, mixtione et ſolutione deducimus.

VII. Magnam in hoc negotio uim eſſe
ſyſtoles cordis, pulmonis et uaſorum ſan-
guiferorum ex oculari patet inſpectione;
aperto enim, poſt paſtum, animantis uiu
tho-

thorace, ſectoque uentriculo cordis dextro, chylus a ſanguine per colorem accurate diſtingui poteſt; examinato uero ſanguine et chylo, qui ex dextro uentriculo ad pulmones et ex iisdem ad ſiniſtrum uentriculum deriuatur, tam intime idem mixtus, attritus et reſolutus eſt, ut nulla oculi acies chylum a ſanguine amplius diſtinguere queat.

VIII. Praecipua igitur ſanguificationis cauſa, in uiſcerum, muſculorum et uaſorum ſanguiferorum motu, et ſufficienti ſalium copia conſiſtit; unde quoque ſic dicti cholerici et ſanguinei, non maiorem ſaltem ſanguinis copiam, ſed ſanguinem quoque tenuiorem et magis rubicundum poſſident.

IX. Quanta autem ſit potentia ſalium in mutandis particulis chyli, non innumeris ſaltem operationibus chymicis, ſed illo uulgari quoque experimento, quo per ſolum lactis cum ſale tartari, aut alio ſimili, digeſtionem, albus lactis color primum in flauum, deinceps in rubicundum mutatur,

X. His addendum, quod obſeruauit microſcopiorum ope, Leevwenhoevkivs, ille enim, ſanguinem in uitali motu conſtitutum examinans, ſex ſphaerulas chyli unum globum rubrum conſtituere, animaduertebat.

XI. Cum haec certa ſint, ultima ratio eo facilius euerti poteſt, non enim chylus eſt, quod

quod ſanguis, repetita aquae affuſione et ſeparatione, relinquit, ſed gelatina coagulata a chylo ualde diſtincta.

XII. Sola uero gelatina ad ſanguinis conſtitutionem non ſufficit, ſed hic deſunt particulae aqueae et ſulphureae, quarum hae ceterarum uehiculum conſtituunt, illae uero rubicundum colorem praebent.

XIII. Si denique hanc methodum concludendi, qua Bontekoe uſus fuit, ſequi uellem, urina, ſecundum Bellini experimentum, nihil aliud eſſet, quam ſubſtantia terrea et ſalina; euaporato enim ſero, quod maximam lotii partem conſtituit, maſſa nigra, admodum acris et uiſcida relinquitur.

XIV. Quo uero diſtinctum et meliorem, quam habuit Bentekoe, de ſanguine conceptum acquiramus, probe perpendendum, quod partes ſanguinem componentes ſint duplices, aliae minimae atque inſenſibiles aliae maiores, ex minimis compoſitae et hinc ſenſibiles.

XV. Partes minimae atque inſenſibiles, ſunt uarii generis, ſalinae ſcilicet, alcalinae, acidae, neutrae, terreae, ſulphureae, pluresque aliae.

XVI. Partes uero maiores et ſenſibiles, triplices, nempe gelatina, limpha et pars purpurea; uel ſecundum alios, duplices ſunt, ſerum ſcilicet et ſanguis κατ' ἐξοχὴν ita dictus.

XVII. Prae-

XVII. Praeiudicium Chymicorum eſt, ſanguini omni ſal neutrum ineſſe; nam praeter aqueas, terreas atque oleoſas particulas, ſalino-alcalinas, acidas aliasque in ſanguine deprehendimus, uti phaenomena tam naturalia, quam praeternaturalia docent.

XVIII. Hoc praeſertim ex peculiari, qua quiuis homo gaudet, atmoſphaera, conſtat; hoc ex uaria ſanguinis circulatione, uariisque illius effectibus patet; pro uario enim particularum ſanguinem conſtituentium genio uariat ſanguinis motus progreſſiuus, et uarius humorum circulus, particularum naturam multum immutat.

XIX. Ad bonum uero ſanguinis ſtatum conſeruandum legitima inter partem ſeroſam, gelatinoſam et purpuream proportio debet adeſſe; maxima et potiſſima ſanguinis pars, eſt aqua; altera eaque minor, gelatina; minima pars, rubicunda.

XX. Haud adaequata eſt ueterum in melancholiam, bilem, pituitam, et ſanguinem diſtributio; nullus enim ſuccus melancholicus in ſanguine reperitur, niſi per eundem particulae terreae intelligantur; nec ſanguini bilis formaliter ineſt; et humor, quem ueteres pituitam uocarunt, uel chylus, uel ſerum ſtagnatione inſpiſſatum eſt.

XXI. Sanguis autem, eſt humor maxime uniuerſalis, et reliquorum humorum, ſolo excepto chylo, fons et ſcaturigo; ne autem ſtagnatione corrumpatur, ac quaeuis pars appropriatum, quo eget, accipiat liquorem, continuus ſanguinis ab una ad alteram partem progreſſus requiritur.

XXII. Hic motus, progreſſiuus, ſeu circulus appellatur, atque ab altero ſanguinis motu, quem inteſtinum uocant, diſtinguitur.

XXIII. Per ſanguinis motum inteſtinum commotio particularum iuxta ſe inuicem intelligitur, eandemque plerique a principio intus agente, nempe a ſpiritu, uel fermento uitali, contrariae moleculis indolis, aethere, aere, uel particulis nitro-aereis deducunt.

XXIV. Progreſſiuus uero ſanguinis motus ſeu circulus, eſt maſſae purpureae, e corde, miniſterio arteriarum, ad partes deriuatio, eiusque ex partibus per uenas reductio.

XXV. Hic motus, circulus appellatur, quia ſucci uitales ad idem, ex quo dimanarunt, principium redeunt.

XXVI. Variis autoribus, Hippocrati nempe, Platoni, Erasistrato, Evripidis Interpreti, Nemesio, Pavlo Sarpio, Gvthmanno,

[...]manno, Helvico Dieterico inuentae et dete-
[...]ctae gloria circulationis ſanguinis tribuitur,
ſed nulli idem iure competit, et Harvaevs
primus fuit, qui motum ſanguinis progreſ-
ſiuum certis atque inconcuſſis rationibus
atque experimentis demonſtrauit.

XXVII. Circulus ſanguinis, in maiorem, minorem et minimum diſtinguitur; maior dicitur, ubi ſanguis ex uentriculo cordis ſiniſtro, magnae beneficio arteriae, ad quaſuis corporis partes corriuatur, atque ex iisdem, cauae ſubſidio uenae, ad auriculam cordis dextram et uentriculum dextrum reuehitur.

XXIIX. Minor autem ſanguinis circulus eſt, qui ex uentriculo cordis dextro per pulmonalem arteriam ſanguinem ad uicinos reducit pulmones, eundemque, pulmonalis miniſterio uenae, ad auriculam cordis ſiniſtram et uentriculum ſiniſtrum reducit.

XXIX. Minimus denique, ſanguinis per totius compagem cordis, coronariorum [...]pe uaſorum, diſtributionem, quam per[...]eleganter Thebesivs (y) et hunc ſequens [R]vyschivs (z) explicarunt, denotat.

XXX. Melius autem et clarius circulum [sa]nguinis nobis haud concipiemus, quam, ſi

(y) Diſſert. Inaugur. de Circulo Sanguinis in corde habita Lugduni Batauorum die 15. Maii 1708. (z) Aduerſar. Anat. Dec. 1. obſ. 6. p. 15. 16. & 17.

ſi tres conſtituamus terminos, 1) terminum, a quo, ſeu circuli ſanguinis principium, cor ſcilicet; 2) terminum, ad quem, quasuis nempe corporis partes; et 3) terminos intermedios, nimirum uaſa ſanguifera.

XXXI. **Terminus**, a quo, eſt cor, quod quippe ſanguinem, quem a uenis accepit, per arterias ad quasuis partes propellit, atque ex iisdem denuo per uenas recipit.

XXXII. Cor eſt machina artificioſiſſima, muſculoſa, in medio thoracis ſuſpenſa, quatuor conſtans cauitatibus, duabus maioribus, et duabus minoribus, ſanguinis propulſioni et receptioni inſeruiens.

XXXIII. Duae cauitates maiores cordis, uentriculi, duae minores, auriculae dicuntur; uentriculus cordis dexter amplior et laxior, ſiniſter longior et robuſtior exiſtit.

XXXIV. Auriculae autem, quae, uentriculis in ſyſtole conſtitutis atque in arterias ſanguinem exprimentibus, ſuccos uitales ex uenis recipiunt, peculiaria ſunt diuerticula muſculoſa, ad circuli ſanguinis perennitatem, quam diu uiuimus, conſeruandam, condita.

XXXV. Duplici, tum uentriculi, tum auriculae cordis, motu gaudent, alio, qui ſyſtole, alio, qui diaſtole appellatur.

XXXVI.

XXXVI. Syſtole cordis nihil aliud eſt, quam fibrarum motricium contractio, qua ſanguis ex cordis uentriculis in arterias exprimitur, & per easdem ad omnes partes deriuatur, ac per totius compagem machinae circumagitur.

XXXVII. Cauſa ſyſtoles cordis a liquoris neruoſi in fibras motrices, ac ſanguinis ex arteria aorta in arterias coronarias influxu dependet; hinc neruis paris uagi in ceruice ligatis, uel diſſectis, cor palpitat, illius motus languet, et breui penitus ceſſat.

XXXVIII. Contrarium ſyſtoli ſtatum denotat diaſtole, fibrarum cordis in priſtinum ſitum reſtitutio, qua ſanguis, quem auriculae in uentriculos exprimunt, recipitur, quo deinceps, ſyſtoles miniſterio, in arterias denuo protrudi queat.

XXXIX. A ui elaſtica fibrarum motricium, qua eaedem a ſanguinis ſuccique neruei influxu conſtrictae iterum reſiliunt et in priſtinum ſtatum reſtituuntur, diaſtole dependet.

XL. Syſtoli et diaſtoli cordis nonnulli periſyſtolen addunt, quam quietem ſeu morulam inter ſyſtolen et diaſtolen dicunt, haec uero nonniſi in praeternaturali ſtatu, nunquam autem in ſano obſeruatur.

XLI. Eadem quidem motuum genera exercent auriculae, diuerſo uero tempore: ita, ut quando uentriculi cordis ſunt in ſyſtole, et ſanguinem in arterias protrudunt, auriculae ſint in diaſtole, et ſanguinem ex uenis hauriant; quando autem uentriculi iterum ad diaſtolen redeunt, tunc auriculae ſyſtolen exercentes ſanguinem in relaxatos cordis uentriculos propellunt.

XLII. Contrarium iſtum uentriculorum atque auricularum motum ſapientiſſime Deus conſtituit, ut circulus ſanguinis haud interrupto ordine continuari queat; eo alias tempore, quo ſanguis per uenas ad cor reducitur, atque ex uentriculis in arterias eiicitur, idem in uena caua et pulmonali, prope cor tunc conſtrictum et clauſum, ſtagnare deberet.

XLIII. Duplicis generis uaſa cordi tribuuntur, quorum illa alii propria, alia communia dicuntur; propria ſunt arteriae uenaeque coronariae, nerui et uaſa limphatica.

XLIV. Vaſa cordis communia in duas iterum claſſes diuiduntur; alia quippe cum pulmonibus, alia cum toto corpore habet communia.

XLV. Arteria uenaque pulmonalis, ſunt ea uaſa, quorum miniſterio, cor cum pulmonibus intimum habet commercium.

XLVI.

XLVI. Ex his liquet, cur affectos pulmones uarii cordis morbi ſequantur, et laborante corde, ſimul pulmonum functio laedatur.

XLVII. Per arteriam uero aortam et uenam cauam, cor et omnes corporis partes, nulla, ne pulmonibus quidem exceptis, bona malaque inter ſe communicant.

XLVIII. Cordis uentriculi peculiaribus quoque ualuulis inſtructi ſunt, et quidem dexter tres, tricuſpides, ſiniſter duas, mitrales dictas, obtinet, quarum munus eſt, ſanguinis ex uenis atque auriculis admiſſi atque intra uentriculos recepti, in eas, ex quibus prodiebat, partes, regurgitationem impedire.

XLIX. Nunc quoque terminus, ad quem tendit ſanguis, explicandus, illum uero omnes corporis noſtri partes atque ipſum cor conſtituit; ſanguis enim ex corde non ad quaeuis modo organa exiliſſima et remotiſſima deriuatur, ſed idem quoque, pro nutritionis negotio, per totam cordis ſubſtantiam, coronariarum miniſterio arteriolarum, diſtribuitur.

L. Termini intermedii, ſunt uaſa ſanguifera, quae in arterias et uenas diſtinguuntur; arteriarum duo praecipui ſunt trunci, a quibus reliquae omnes ortum ducunt, nempe 1) arteria aorta, et 2) arteria pulmonalis.

LI. Arteria aorta eſt canalis admodum robuſtus, elaſticus et conicus, ſanguinem ad omnes omnino partes ex corde deducens.

LII. Idem officium, eandemque arteria pulmonalis cum aorta fabricam habet; illa enim e uentriculo cordis dextro egrediens infinitis ramis per pulmonum ſubſtantiam diſtributa ſanguinem adducit.

LIII. Arteriae quoque iuxta exortum ſuum e corde tres ualuulas tricuſpides ſiue ſigmoideas habent, quae ſanguinis ex arteriis in uentriculos refluxum impediunt.

LIV. Omnes arteriae ſunt uaſa conica, hoc eſt, a ſpatio amplo ad anguſtum progrediuntur, et quatuor uel quinque lamellis membranaceis admodum robuſtis gaudent, a quibus ratio pulſus deriuanda.

LV. Magnae et pulmonali arteriae merito addenda uena portae; eadem enim, nec functionem, nec fabricam uenae, ſed arteriae obtinet; nam uena portae eſt uas elaſticum, conicum, innumeris ramis per hepar diſtributum, ſanguinem pro bilis ſecretione adducens.

LVI. Ad terminos intermedios uenae quoque pertinent, quarum duos itidem truncos, nempe uenam cauam et pulmonalem habemus.

LVII. Sunt autem uenae, ductus cylindrici, laxiores, ſanguinem ex partibus ad cor reducentes.

LVIII.

LVIII. Valuulae plures in ramis uenae cauae, nullae in pulmonali adſunt, eaeque ſanguinis ex partibus inferioribus ad ſuperiores reductionem promouent.

LIX. Nullus quoque in uenis pulſus ſentitur, et hoc ab earum amplitudine, parciore ſuccorum, quos uehunt, copia, et tunicarum, quibus conſtant, laxitate dependet.

LX. Pulſus arteriarum, eſt tunicarum, quibus conſtructae ſunt, dilatatio, a ſanguine appulſo inducta.

LXI. Haud leue eſt inter pulſum cordis atque arteriarum diſcrimen, arteriarum enim pulſus in dilatatione, cordis uero in contractione conſiſtit.

LXII. Pulſus igitur cordis, nempe ſyſtole, qua ſanguis ex uentriculis huius in arterias expellitur, eſt cauſa pulſus arteriarum, dilatando easdem.

LXIII. Eadem hoc modo inaequalitas, reſpectu temporis, in ſyſtole et diaſtole cordis eſt, nempe, quando uentriculi ſunt in ſyſtole, tunc arteriae ſunt in diaſtole; et quando uentriculi dilatantur, tunc arteriae ſyſtolen exercent.

LXIV. Eſt uero diaſtole arteriarum, tunicarum dicta uaſa conſtituentium dilatatio,

a ſanguine, ex corde, ſyſtole huius, in ar-
teriarum expreſſo, proueniens.

LXV. Syſtole econtra arteriarum, eſt
fibrarum, ex quibus arteriarum tunicae con-
ſtant, actio propria, qua eaedem antea dilata-
tae, ſe contrahentes in priſtinum reſilium
ſitum, ſanguinemque ad et per extrema
partes protrudunt.

LXVI. Vaſa ſanguifera in plurimis par-
tibus ſunt continua, et circulus ſanguinis fi-
immediate ex minimis arteriolis in minimas
uenulas.

LXVII. Venae dehinc iure meritoque
replicati et recuruati arteriarum rami uoca-
ri poſſunt.

LXVIII. Reperiuntur tamen uiſcera et
partes in corpore noſtro, ubi alio circu-
lus ſanguinis modo perficitur; ſic in pene
ſanguis non immediate e minimis arteriolis
in minimas uenulas tranſit, ſed idem in
corpora nerueo-ſpongioſa excidit, e quibus
eundem oſculis patentibus uenae hauriunt.

LXIX. Ita quoque in cerebro, cum per
idem caluariae foramen, uena cum arteria
fortius pulſante tranſire nequeat, ſanguis
non per uenas, ſed per peculiares ſinus,
uenoſos dictos reducitur.

LXX. Talem peculiarem ſanguinis circu-
lum in liene humano multi ſtatuerunt, pro-
uo-

uocantes ad uitulini fabricam lienis, in quo ſanguis ex arteriis in peculiares cellulas ſeu ſinus, atque ex iisdem in uenas commeat; ſed tales ſinus in liene humano non inueniri, experimentis atque obſeruationibus plurimis anatomicis Rvyschivs demonſtrauit.

LXXI. Circulatio ſanguinis in omnibus indiuiduis non eadem eſt, ſed pro uarietate idioſyncraſiae, uictus, uitae generis, aetatis, tempeſtatis et regionis admodum uariat.

LXXII. Ita quoque idem cum ſanguinis quantitate comparatum, eadem enim maior in aliis, in aliis minor, ita ut nonnulli duodecim, alii uiginti, alii triginta ſanguinis libras, praeter propter poſſideant.

LXXIII. Magis notabile diſcrimen in qualitate ſanguinis deprehendimus, quae tanta eſt, ut minime ſub quaternario temperamentorum numero comprehendi queat.

LXXIV. Minime dehinc in explicanda ſanguinis natura et circulo, ſic dictis temperamentis inniti debemus, quippe quae partim finguntur, partim minus recte explicantur.

LXXV. Nec ueteres, nec recentiores, in explicanda et deſcribenda temperamentorum natura et numero inter ſe conueniunt,

unt, alii unum, alii duo; hi tria, illi quatuor; quidam ſex, multi tot, quot ſunt indiuidua, ſtatuunt.

LXXVI. Aequale omnium particularum, ubi nulla, uel quantitate, uel qualitate, prae altera excedit, conſortium, legitimaque et exacta inter rigiditatem et laxitatem in ſolidis proportio, quae ueteres temperamentum quoad pondus dicebant, non datur, uel inuenitur.

LXXVII. Alia uero aliaque ſanguinis mixtio et conſtitutio, cum harum illarumue particularum praedominio, a quo nomen accipit, et quam ueteres temperamentum quoad iuſtitiam dicebant, non temperamenti, ſed intemperiei et dyſcraſiae nomen promeretur.

LXXIIX. Hoc praeſertim exinde demonſtrari poteſt, quia tam temperamenti cholerici, phlegmatici et melancholici, quam intemperiei bilioſae, ſeroſae et atrabiliariae unam eandemque definitionem atque explicationem ſuppeditant.

LXXIX. Si uero alicui placet, peculiarem ſolidorum et fluidorum conſtitutionem, quam in hominibus deprehendimus, temperamentum appellare, idem pariter admitto; melius autem hoc exprimitur per Idioſyncraſiam.

LXXX.

LXXX. Dehinc haud ſufficit diſtinctio temperamenti in melancholicum, phlegmaticum, ſanguineum et cholericum; inutilis penitus eſt diuiſio in temperamentum totius et partis, ſexus atque aetatis.

LXXXI. His, tanquam inutilibus, omiſſis, ſpecialis, qua quiuis homo laborat, dyſcraſia examinanda, detegenda, et qua ratione hinc circulus ſanguinis labefactetur, labefactatus in priſtinum ſtatum reſtituatur, explicandum.

LXXXII. Haud credendum, quod, uti Chymicis quibusdam perſuaſum, ſal neutrum ammoniaco ſimile, aut aequalis ſalis, ſulphuris, mercurii, terrae et aquae mixtio in humano adſit ſanguine, ſed ingens particularum ſanguinem conſtituentium uarietas et multitudo eſt, et hae in illo, illae in hoc excedunt particulae.

LXXXIII. Varia autem ſalia aliasque moleculas in humano ſanguine excedere, docent antecedentia, praeſentia et ſequentia, quae tam in ſanis, quam aegrotis obſeruamus, phaenomenta.

LXXXIV. Signa hoc modo, ex quibus ſalis alcalini, in ſanguine, exceſſum, cognoſcere potes, ſunt ſequentia: ſanguis e ſecta miſſus uena tenuis et floridus eſt; partes ſolidae admodum ſiccae et rigidae; ſitis, oris

oris et narium ſiccitas, appetitus proſtratus, alui conſtipatio, oris totiusque corporis foetor, maximam creant moleſtiam; ſudor perpaucus prorumpit, isque hirci inſtar odorem ſpirat; urina putrefactae ſimilis ſpumam copioſam oſtendit; cutem inflammationes peracutae, maculae purpureae, puſtulae plumbeae, cinericeae et nigrae, cum eroſione breui ſe latius diffundente, afficiunt.

LXXXV. Hanc ſanguinis dyſcraſiam morbosque exinde ortos, tum accommodata diaeta, tum contrariae remediis naturae curabimus; hunc in finem potus, quo utitur aegrotus, ſit aquoſus, gelatinoſus et ſubacidus; ſimilis quoque ſint alimenta indolis, nempe lac, ſerum lactis, lac ebutyratum, fructus horaei, pulticulae ex farinoſis acidis; quiete praeterea utatur, et aerem frigidum uel temperatum quaerat; et denique remedia acida et ſeroſa in ſubſidium uocet, qualia ſunt cremor tartari, cryſtalli tartari, tartarus uitriolatus, tamarindi, ceraſa acida, ribeſia, fructus berberis, ſuccus citri, limonii, acaciae, ſpiritus uitrioli, nitri, ſalis, ſulphuris, tinctura florum bellidos, papaueris rheados, uiolarum, roſarum, acetoſa, acetoſella, oxys trifoliata, quae uel in puluere, aut infuſo et decocto adhiberi poſſunt.

LXXXVI. Antecedenti, contrarium ſanguinis

guinis ſtatum excitat dyſcraſia acida, aliaque occurrunt ſymptomata, ex quibus hanc cognoſcere poſſumus; ſitis ferme nulla ſentitur; ingens uero appetitus urget uberiorem ciborum uſum; ructus et ſudor, quem copioſum habent, acidum ſpirant odorem; pallidus eſt labiorum gingiuarumque color; feces alui tardius, parcius et difficilius excernuntur; urina, quam redduut, alba, craſſa, cum copioſo et uiſcoſo ſedimento coniuncta eſt, unde illis frequens ſtranguria quoque accidit; ſanguis e uena extractus craſſus, niger et pallidus eſt, et dehinc illi, qui tali ſanguinis conſtitutione gaudent, ſaepius aſthmate, obſtructione atque infarctu lienis, hepatis, pulmonum, aliorumque uiſcerum laborant.

LXXXVII. Si his aliisque pluribus malis ex dyſcraſia ſanguinis acida generatis uis occurrere, fuge moerorem, uitam ſedentariam, potulentorum atque alimentorum acidorum uſum; ueſcere carnibus, ouis, et piſcibus, chaerefolio, petroſelino, thymo, ſaluia, et aromatibus conditis; utere cereuiſia pinguiore bene lupulata; et his adiunge uſum abſorbentium terreorum, et aliorum alcalinorum, nimirum cornu cerui philoſophici, eboris ſine igne, mandibularum lucii piſcis, dentis apri, equi marini, unicornum marini, foſſilis, lapidum cancrorum,

ireos

ireos florentinae, rhabarbari, ſalium fixo-
rum centaurei minoris, cardui benedicti
abſinthii, arthemiſiae, ſalis uolatilis uipera-
rum, ſuccini, et quorumuis infuſorum
decoctorum, eſſentiarum, ſpirituum atque
elixiriorum ex alcalinis paratorum.

LXXXIIX. Haec autem remedia non pro-
miſcue adhibenda ſunt, et primum circum-
ſpectus ſit Medicus in terreorum uſu, ea-
que, ſi omni ſale deſtituantur, non praeſcri-
bat; haec enim acidum quidem abſorbent,
aſt cum eodem coniuncta in calcem ſeu ſub-
ſtantiam lapideam, irreſolubilem degene-
rant, adeoque terrea hic ſemper cum aperi-
entibus coniungenda ſunt.

LXXXIX. Maior prudentia et uis iudicii
in praeſcriptione ſalium uolatilium, ſimpli-
cium et oleoſorum requiritur; illa enim,
quando maxima in corpore ſiccitas, ſucco-
rum uiſciditas, ſeri tenuis defectus, et ſalis
acidi, tam quantitate, quam qualitate exceſ-
ſus, minime conducunt, hic potius infuſa
ex herbis ſale alcalino inſtructis, et terrea cum
ſalibus fixis iuncta conueniunt.

LXL. Sin autem ſeroſarum et acidarum
ſimul abundantia particularum adeſt, tunc
merito et cum exoptato ſucceſſu uolatilia,
nimirum ſpiritus bezoardicus Buſſii, liquor
cornu cerui ſuccinatus, ſal uolatile oleoſum
Syluii,

Syluii, eſſentia ſuccini, caſtorei, fumariae, abſinthii, lignorum, aliaque praeſcribuntur.

LXLI. Eadem remedia in dyſcraſia ſanguinis ſeroſa et pituitoſa maxime proſunt; antequam uero hoc ſuſcipias, de eiusdem praeſentia certus ſis; eandem uero cognoſces ex ſitis et appetitus languore, copioſa et frequenti muci ex naribus et ore profuſione, ſenſu frigoris et frequentibus in diuerſis corporis partibus tumoribus, difficili reſpiratione, abdominis diſtenſione, pallido et flaccido totius corporis habitu, tardo debilique pulſu, aluo admodum laxa, excrementis pituitoſis, ſomnolentia et totius corporis laſſitudine et torpore.

LXLII. Hic ſalia fixa et uolatilia conducunt, ſimplicia et oleoſa, illorum uero uſui, tum praemittenda, tum interponenda ſunt appropriata purgantia, in ſpecie mercurialia, quae maximam in ſuccis uiſcidis reſoluendis uim obtinent; et eo certior erit allegatorum medicamentorum effectus, ſi prius infuſo diluente et reſoluente, quod ex fumaria, trifolio fibrino, meliſſa, ſcorzonera et ſimilibus parari poteſt, materia uiſcida ad excretionem praeparatur.

LXLIII. His uero non opus, alia potius deſiderantur, ſi non tam uiſciditas, quam tenuis abundantia ſeri in culpa eſt; tunc enim praeſtat uinum medicatum ex ſaluia,

ligno ſancto, ſaſſafras, rhabarbaro, corti
ce winterano, fibris hellebori nigri, pa
rare, et cum eodem uſum eſſentiae ſaturati
oris rhabarbari uel mirrhae praeſcribere.

LXLIV. Ab his omnibusque acribus ab
ſtinendum, in maſſae biliosae abundantia
aut nimis aucta illius acrimonia; hic foeto
empyreumaticus ex ore totoque exhala
corpore; ſapor amarus, rancidus et pin
guis maxime infeſtus eſt; tanta ſiccitas, tant
acrimonia quandoque in ore ſentitur, u
fauces adurere uideatur; ructus et ſapor ni
doroſus, ac nigrae oris aliarumque parti
um eroſiones cum feruore accedunt; fre-
quens nauſea cum uomendi difficultate di
uexat, et ſi uomunt, parum materiae acri
amarae eiicitur; appetitus languet, ſiti
econtra impenſior urget; urina pauca, u
rens, foetida et ſpumoſa excernitur; fe
ces aluinae pingues et foetidae ſunt; ſan-
guis e uena miſſus craſſus et quaſi ambu
ſtus apparet, unde febres bilioſae acutae
pleuritis, angina aliaeque inflammatione
celeres, nec non ſuppurationes pertinace
et gangraenae foetidiſſimae.

LXLV. In cura horum affectuum ab a
legata cauſa ortorum duo expendenda ſun
alterum concernit limphae deficientis rep
rationem, alterum acrimoniae bilioſae co
rectionem atque euacuationem. Ad ho
obt

obtinendum, loco potus ordinarii, decoctum hordei, uel ceraſorum, aut aqua ſimplex oxymelle imbuta, adhibenda; uictus ex fructibus ſubacidis, oleribus, farinoſis, inſipidis atque inſulſis debet conſtare; quietem quaerat et aerem temperatum, ac magis ad frigus, quam calorem, inclinantem; adhibeat inſuper remedia acida, ſaponacea et feroſa, nimirum mel, oxymel, ſacharum, pulpam tamarindorum, ſuccum baccarum mori, berberum, ceraſorum, puluerem ex aequali nitri et cremoris tartari parte compoſitum, cum aqua deſtillata plantaginis, portulacae, borraginis, bugloſſae, acetoſae, endiuiae, aliisque, quae uim diluendi, temperandi et refrigerandi obtinent.

LXLVI. Haud multum diuerſa ſunt ſigna acrimoniae muriaticae in ſanguine excedentis, ab iis, quibus ſalis alcalini praedominium demonſtrauimus; continua enim, ingens et pertinax ſitis urget; ſapor ſalſus fere continuo ſentitur; gingiuae et lingua eroduntur; pruritus in ore totaque corporis ſuperficie incommodum creat continuum; quiuis corporis ſucci, ſi guſtentur, ſapore ſalſo, quid adſit, indicant; urina ualde rubra eſt et craſſum ponit ſedimentum.

LXLVII. Cum origo huius dyſcraſiae ab aere, cibo, potu et motu dependeat, in horum

mutatione totius medelae cardo uertitur, e
nihil magis hic prodeſt, quam ſola aqu
ſimplex, uel aqua acido leniore, quale eſ
cremor tartari, ſaturata, qua dyſcraſia ſali
no-muriatica dilui, temperari atque elu
poteſt.

LXLVIII. Eae, quae tenus hac explica
tae, dyſcraſiae ſpecies, minime ſufficiunt
ſed aliae plures et ferme infinitae in ſangui
ne noſtro inueniuntur; uti enim in ipſa na
tura et mechanicis obſeruamus, acida ab aci
dis, alcalia ab alcaliis differre, atque aliud eſſe
acido-terreum, aliud acido-ſulphureum, ali
ud uolatile, aliud fixum, ita uarias intempe
riei ſpecies in ſanguine deprehendimus, quas
Medicus accurate perquirere atque exami
nare debet.

LXLIX. Totum hoc modo fundamen
tum, quo doctrina panacearum innititur
euerti uidemus; impoſſibile enim eſt, unc
eodemque remedio, tot et tam diuerſa ſan
guinis uitia emendare, praeſentem ſanitatem
tueri, et morbos profligare.

C. Repudiatis hac de cauſa panaceis
conueniens methodus medendi ſeligenda
eſt uero eadem, ars cum ratione inueniend
et cum iudicio applicandi remedia.

CI. Ad hoc perficiendum requiritur In
dicatio, quae denotat Indicati ex Indicante
collectionem.

CII

CII. Indicatio diſtinguitur in conſerua-
toriam, praeſeruatoriam, curatoriam et
palliatiuam; prima alteraque, ſanitatis et eo-
rum, quae eandem tuentur, atque immi-
nentes praecauent morbos, cognitione, et
tertia quartaque, morborum et medica-
mentorum his profligandis ſufficientium no-
titia innititur.

CIII. In quauis indicatione duo conſide-
randa, 1.) Indicans, 2.) Indicatum. In-
dicans eſt ſtatus corporis uel ſanus, uel mor-
boſus, inſinuans, quid ſui cauſa ſit agendum.

CIV. Indicantibus adduntur coindicantia
et permittentia, nempe aetas, ſexus, an-
ni tempeſtas, conſuetudo, uitae genus,
quae idem, quod tanquam utile indicatum,
confirmant.

CV. Contraindicantia ac prohibentia
ſunt, quae Indicanti e diametro opponun-
tur et repugnant, ac contrarium ei, quod
inſinuatur, poſtulant.

CVI. Indicatum uero eſt ipſa actio me-
dica ad ſanitatis praeſentis conſeruationem,
et amiſſae reſtitutionem collineans, ex parte
indicantis requiſita, atque in concreto inclu-
dens ſubſidium, quo iſtam actionem perfi-
cimus.

CVII. Quorumuis morborum cura ita
ſuſcipienda, ut nos cauſae morbi oppona-
mus, eandemque remoueamus.

CVIII. Sin uero uehementiora adſin
ſymptomata, quorum medela, ſine peri
culo atque intolerabili moleſtia, eo usque
donec morbus, a quo dependet, profliga
tus ſit, differri nequeat, cura palliatiua in
ſtituenda, unde quoque indicatio hic for
mata, urgens, mitigatoria, uel palliatiua
dicitur.

CIX. Qui curationem morbi prudenter
auſpicari et medelam illius cito et feliciter
abſoluere geſtit, ſedulo conſideret, 1) quid
agendum? 2) per quae, qua doſi, uehicu-
lo, tempore, ordine et conditione?

CX. Secundum hanc generalem metho-
dum in cuiusuis morbi curatione, ad indi-
cantia ſingularia deſcendendum, et notatis
probe per ſigna ſenſui manifeſta, morbis et
cauſis latentibus, fidae inde indicationes
ipſaque remedia et remediorum conditio-
nes eruendae.

CXI. Ea igitur, quae de dyſcraſia uaria
ſanguinis adducta, probe obſeruanda, quia
in ſanguine eiusque circulo praecipuum
uitae, ſanitatis, morborum et mortis fun-
damentum conſiſtit.

CXII. Deinceps ope circuli ſanguinis
remedia per totum circumaguntur cor-
pus, ut id, quod agere debent, perficere
queant.

CXIII.

CXIII. Ab aequali uero et ſufficiente robore cordis, ſi cetera conſentiant, libera ſanguinis circulatio, a libero aequalique circulo ſanitas dependet.

CXIV. Cuiuis igitur, cui ſanitatis conſeruatio curae cordique eſt, incumbit, ut aequale cordis robur conſeruet, atque idem, neque acrioribus nimis augeat, neque uiſcidis et terreſtribus nimis infringat.

CXV. Hoc minime per ſic dicta cardiaca impetrari poteſt, ſed per eam diaetam, eaque medicamenta, quibus uis ſyſtaltica cordis in aequilibrio conſeruatur, ut ſufficientem humorum copiam, cuiuis parti, per ductus conicos ſuppeditare poſſit.

CXVI. Duo praeſertim ad hoc neceſſaria ſunt, 1) uiae uaſorum liberae atque apertae, 2) humores laudabiles, nec nimis craſſi, nec nimis tenues.

CXVII. Quid itaque de cardiacis ita dictis ſit ſentiendum, ex his ſatis conſtat; eadem enim, cum ex aromatibus aliisque acribus et uolatilibus conficiantur, augendo atque accelerando cordis motum, celerioris interitus cauſa ſunt, et in corporis detrimentum, uires, ſi ſine diſcrimine uſurpantur, augent.

CXVIII. Per cardiacum, intelligitur remedium, quod uim cor confortandi debet habere.

CXIX. Cardiacum uero, omne illud hodie dicitur, quod tollendo cauſas debilitatis, uires corporis reddit.

CXX. A cordis quidem robore magna ſanitatis pars dependet, ſed idem cum ceterarum partium ſtatu debet conſentire; ſaepius enim cordis uis cum totius corporis imbecillitate in ſummam augetur perniciem, uti febris inflammatoriae exemplo conſtat.

CXXI. Si igitur remedium cardiacum congruum cum exoptato ſucceſſu praeſcribere uolumus, habenda ratio impedimentorum, quae cordis robur diminuunt, haec autem, cum uaria et multa ſint, uarias et multas cardiacorum, quae impedimentis uirium tollendis accommodata ſunt, ſpecies requirunt.

CXXII. Tres igitur, ſecundum praecipuas uirium cauſas, cardiacorum claſſes conſtituemus, 1) de iis quae bonam neruorum ſuccique neruoſi conſtitutionem et motum tuentur, agemus; 2) ea, quae uaſa pro libero ſuccorum tranſitu, apta ſeruant, explicabimus; 3) trademus ea, quibus legitima

ma ſuccorum quantitas et qualitas conſeruari poteſt.

CXXIII. Syſtole et motus cordis, uti iam §. 37. huius capitis demonſtratum, a liquoris neruoſi influxu dependet; hoc igitur impedito et retardato, cordis languet motus.

CXXIV. Succi neruei influxus impeditur, tum ob accommodatae materiae in ſanguine defectum, tum ob impeditam illius ſecretionem, tum ob ſecreti inaequalem diſtributionem, uel malam qualitatem.

CXXV. Si materia ſecernendo liquori neruoſo accommodata deficit, gelatinoſa et ſeroſa, oua ſorbilia, pulticulae ex pineis, amygdalis dulcibus et ouis paratae, lac ſaccharo et croco conditum, iuſcula carnis tenerioris, cereuiſia pinguior, fructus horaei, ribeſia, mori, ceraſa nigra, mala perſica, aurantia, optima ſunt cardiaca.

CXXVI. In illis, in quibus et gelatinoſae et ſpirituoſae deficiunt particulae, praeter alimenta commendata, uina antiqua atque odorata cum pane bis cocto adhibita, nec non iuſcula aromatibus condita, admodum proficua ſunt.

CXXVII. Sin uero ob limpham gelatinoſam, colliquatiuo exhauſtam ſudore, qua-

lem ſtatum in hecticis deprehendimus, ſuc cus nerueus debitumque corporis robur deficiat; uinum aliaque ſpirituoſa fugienda et horum loco, iam commendatis gelatinoſis, ſeroſis et fructibus acidis, nitrata, tartarea, acida, abſorbentia acidis ſaturata, tincturae acidae aliaque refrigerantia adiungenda.

CXXVIII. Alii iterum caſus occurrunt, ubi quidem ſufficiens materia in ſanguine ſecretioni liquoris neruoſi accommodata adeſt, ſed eadem ob cerebri obſtructionem aut compresſionem impeditur, ubi compresſio per euacuantia, obſtructio per aperientia tollenda.

CXXIX. Si igitur non cerebrum modo, ſed totum ſyſtema neruoſum per uniuerſam diſtributum machinam a phethora et diſtentis uaſis ſanguiferis prematur, uenaeſectio iuuat; ita pariter, ſi a ſanguine, limpha, aut alio liquido in cerebro extrauaſato, idem malum excitetur, trepanatio, niſi aliud indicent circumſtantiae, ſuſcipienda.

CXXX. Obſtructiones cerebri optime expediunt, et optima tunc cardiaca ſunt, ſalia uolatilia ſimplicia et oleoſa, cinnabarina, antimoniata, ſuccinata et caſtoreata, cum diluentibus iuncta.

CXXXI.

CXXXI. Haud raro cauſa debilitatis in corpore atque imminuto liquoris neruoſi motu conſiſtit, in quo ſtatu excitantia, quorum modo facta mentio, in ſpecie quaeuis aromata, eſſentia moſchi, ambrae, ſal uolatile oleoſum Syluii, oleum cinamomi, citri, aliaque ſic dicta olea aetherea, ex quibus, uel ſalia uolatilia oleoſa, inſtar balſami uitae Hoffmanni, uel elaeoſachara confici poſſunt.

CXXXII. Quia uero haec remedia maxime ſubtilia ſunt, et multum limphae disſipant atque euacuant, iisdem nonniſi in ſubiectis ſeri abundantia et partium ſalino-uolatilium et ſulphurearum defectu laborantibus adhibere debemus.

CXXXIII. Tutiora et praeſtantiora ſunt acida alcalicis temperata, qualia ſunt, acetum rutae, roſarum, liliorum conuallium, florum roriſmarini, ſpiritus nitri dulcis cum roſis deſtillatus, tinctura roſarum ſpiritu uitrioli dulci parata.

CXXXIV. Quantam debilitatem ſpaſmi et conuulſiones inducant, docet epilepſia, tetanus, ſuffocatio hyſterica et hypochondriaca; cum uero horum affectuum cauſa in diſtributione liquoris neruoſi inaequali conſiſtat, per antiſpaſmodica, tam ſtimulantia, quam laxantia, ſuccurrendum erit.

CXXXV.

CXXXV. Cum huiusmodi cardiacis maximam conuenientiam habent ea, quae ſecundam cardiacorum claſſem conſtituunt: illorum uero tres ſunt ſpecies, alia, quae uaſa nimis ſtricta laxant, alia, quae laxa adſtringunt, alia, quae obſtacula illis inhaerentia tollunt.

CXXXVI. In uaſorum rigiditate et nimia conſtrictione, infuſa, decocta et balnea emollientia et refrigerantia, optima ſunt cardiaca.

CXXXVII. Econtra in uaſorum laxitate, optima cardiaca ſunt auſtera, tinctura martis cydoniata et quaeuis martialia, cortex peruuianus, radix tormentillae, poma cydonia, uinum auſterum.

CXXXIIX. Obſtacula uero, quae uaſis inhaerentia ſanguinis circulo remoram atque obicem ponunt, uiresque infringunt, diuerſa ſunt, aliaque nullam et mere palliatiuam, alia difficilem admittunt medelam.

CXXXIX. Ex eorum catalogo, quorum cura radicalis et perfecta impoſſibilis, ſunt aneuriſmata, ſteatomata, atheromata, polypi, calculi et aliae huiusmodi excreſcentiae uaſis ſanguiferis interioribus inhaerentes, quibus addendae arteriae earumque ualuulae cartilagineae, oſſeae et lapideae redditae, nec non uentriculi cordis obturati,

quales

quales obſeruationes Willisio, (a) Rvyschio (b) et Lowero (c) inuenimus.

CXL. Hic certe, cum impoſſibile ſit, illas aufferre cauſas, de eo ſit ſollicitus Medicus, ut diſſuadendo uehementem corporis mentisque commotionem, atque acriam potulentorum, alimentorum et medicamentorum uſum, lenioribus, laxantibus, parciore et repetita uenae ſectione, cibo potuque defecatiſſimo, et remediis diluentibus ac lenioribus reſoluentibus, uitam, quanquam miſeram, per aliquod temporis ſpatium adhuc conſeruet.

CXLI. Frequentiſſime autem maſſa craſſior extremos uaſorum conicorum diametros obſtruit, impediendoque liberum ſanguinis circulum, praeter alia incommoda, uirium inducit proſtrationem; hic cardiacorum titulum ea promerentur, quae immeabilem reſoluendo pituitam uaſa obſtructa reſerant; talia ſunt ſalia fixa herbarum, ſapo uenetus, flores ſalis ammoniaci ſimplices et martiales, decocta lignorum, et quae ceteris omnibus in praeſenti ſtatu praeferenda, mercurialia.

CXLII.

(a) Oper. Med. Tr. de Cerebr. c. 7. p. m. 25. (b) Obſ. Anat. Chirurg. Cent. hiſt. 69. p. 89. et 90. (c) Tract. de corde cap. 2. p. 186. conf. Bonetus Anat. Pract. Lib. 2. ſect. 1. obſ. 104. p. 604.

CXLII. Origo igitur huius, quod ſolida laedit, mali, in liquidis circulantibus quaerenda, adeoque iam ad tertiam cardiacorum claſſem peruenimus, quorum alia ſunt diluentia, quae in ſuccorum uiſciditate, alia incraſſantia, quae in ſuccorum tenuitate conducunt, alia alterantia ſpecifica ſpeciali dyſcraſiae corrigendae dicata, de quibus §. 85. usque ad §. 98. huius capitis, actum.

CXLIII. Ab iisdem quoque cauſis ſanguinis circulus uitiatur et uariam patitur labem, praecipue autem quatuor modis a naturali ſtatu recedit, 1) nimia tarditate, 2) nimia celeritate, 3) ſtagnatione et hanc excipiente inaequalitate, 4) mutatione ordinariorum terminorum.

CXLIV. Tardior motus requirit excitantia, celerior, temperantia, ſtagnatio, aperientia, extrauaſatio, euacuantia et conſolidantia.

CLXV. Quemadmodum uero multiplices, imo innumerae fere tardioris, celerioriſque ſanguinis circuli et aliorum huc pertinentium ſymptomatum ſunt cauſae, ita pro earum uaria indole, remedia excitantia, aperientia, reſoluentia, temperantia ceteraque mutanda ſunt.

CXLVI.

CXLVI. Et eo maior ſedulitas, eo maior uis iudicii neceſſaria, quo maius toti corpori, tum emolumentum, tum detrimentum, hinc imminet; ſi enim plurimos morbos, tam acutos, quam chronicos examinamus, eorum origo a peruerſo ſanguinis illiusque circuli ſtatu dependet.

CXLVII. Nullus hac ratione, quem circulus ſanguinis latet, ſibi diſtinctum conceptum de febre, cachexia, cacochymia, ſcorbuto, inflammatione, tumore, abſceſſu, ſcirrho, gangraena, ſphacelo et cancro formare poteſt.

CXLVIII. Omnia haec uitia a mala ſanguinis qualitate et corrupto illius circulo ortum ducunt; maxime hinc neceſſarium, ut praemiſſa breui affectuum cordis delineatione, eorum cauſam, ſigna, differentiam et medelam explicemus.

CXLIX. Praecipui cordis affectus ſunt, palpitatio, polypus, tabes, animi deliquium et hydrocardia, quibus addendi nonnulli caſus rariores de eroſione, fiſſura, plenaria conſumtione et extraordinaria dilatatione cordis.

CL. Palpitatio cordis notat crebriorem et uehementiorem contractionem, qua ipſum ueluti concuſſum intremit, ab irrita-

tio-

tione et huic ſuccedente ſpaſmo fibrarum cordis motricium excitata.

CLI. Polypus cordis, eſt excreſcentia filamentoſa, pedum inſtar, appendicibus inſtructa, e fibris gelatinoſis ramoſioribus, intra columnas carneas ſubſiſtentibus et cordis preſſione combinatis, genita.

CLII. Non in corde ſaltem, ſed in aliis quoque partibus huiusmodi excreſcentiae generantur, uti idem exemplo polypi narium conſtat.

CLIII. Tabes cordis, ſucceſſiuam illius diminutionem, ab impedito ſanguinis liquorisque neuei in arterias ſurculosque nerueos influxu prouenientem, ſignificat.

CLIV. Animi deliquium eſt praeceps ſubitusque omnium uirium lapſus, cum reſpiratione et pulſu plus minus debili, diminuto, uel abolito, a languido, imminuto, aut ad momentum deficiente cordis motu obortus.

CLV. Animi deliquio tres tribuuntur gradus, 1) ecclipſis, 2) lipothymia ſeu lipopſychia, 3) aſphyxia dicitur; ecclypſis, leuius, lipothymia, grauis, et aſphyxia, grauiſſimum animi deliquium denotat.

CLVI. Hydrocardia eſt tumor pericardii, ab uberiore limphae quantitate, aut alius materiae praeternaturalis collectione, proueniens.

CLVII. In

CLVII. In animi deliquio, palpitatione ceteriſque cordis affectibus curandis, praeter laeſam ſuccorum quantitatem et qualitatem, praeter uermes et polypos, aliarum partium habenda ratio, a quibus affectis allegata mala haud raro generantur.

CLIIX. In iis praecipue, qui ſanguinis abundantia laborant, admodum familiaris eſt, poſt paſtum, cordis palpitatio; uentriculo enim ciborum copia diſtento, deſcendens comprimitur aorta, et ſanguis in ſuo progreſſu impeditus regurgitat; hic uenae ſectio et parcior ciborum minus flatulentorum uſus prodeſt.

CAPVT. V.

DE FEBRIBVS.

I.

FEbrium ſubiectum cor eſſe, non immerito affirmarunt ueteres, quanquam illarum cauſa, non ab igne uitali, ad corruptam ſuccorum qualitatem emendandam, aucto, ſit deriuanda.

II. Febris enim, auctam et acceleratam cordis ſyſtolen, pulſu et calore praeternatu-

 rali

rali ſtipatam, ab exagitatione maſſae ſanguineae prouenientem ſignificat.

III. Signum febrium pathognomonicum, eſt pulſus naturali frequentior ſeu concitatior, et calor praeternaturalis.

IV. Signum pathognomonicum ſeu eſſentiale eſt, quod uni ſoli morbo competit, et ita eidem coniunctum eſt, ut eodem poſito, ponatur morbus, eodem ablato, morbus quoque auferatur.

V. Ex hoc quidem ſigno, febrem adeſſe, cognoſcimus, qualis uero eadem ſit, ex ſpeciali diuerſarum febrium deſcriptione iudicandum.

VI. Varia febres ratione diſtinguuntur, in algidas nempe et calidas, continuas et intermittentes, quibus alii adhuc remittentes addunt; cum uero haud ſufficiat diuiſio in algidas et calidas, illisque, ex algidis et calidis compoſitae, eſſent adiungendae, et praeterea haec diſtinctio minus eſſentialis ſit, duas ſaltem ſummas febrium ſpecies, continuas atque intermittentes conſtituimus.

VII. Febris intermitttens eſt, quae per interualla, nunc breuiora, nunc longiora, diuerſis paroxyſmis, iisque uel ſtatis, uel uagis, modo ſolo frigore, modo ſolo calore, iam utroque, hominem diuexat, et per certum interuallum eundem deſerit, et iterum redit.

VIII.

VIII. Febris continua econtra dicitur, quae nunquam corpus deſerit, ſed a principio inuaſionis, usque ad ſui ceſſationem, nulla facta intermiſſione, perſeuerat atque affligit.

IX. Probe hic, ne confundas febrem continuam cum intermittente, remiſſionem ab intermiſſione diſtinguas; in multis enim febribus continuis, per aliquot horas, matutino nempe, aut ueſpertino tempore, imo per totum quandoque diem, ſymptomata, quae antea maximam moleſtiam creabant, minui et mitiora fieri, obſeruamus, eadem uero minime penitus abeunt et ceſſant, ut pulſus naturali celerior adhuc ſuperſtes docet.

X. Hac de cauſa nonnulli febres continuas in abſolute tales et remittentes, uel in continuas et continentes diſtinguunt, et continentes eas appellant, quae eodem, quo inchoarunt, tenore, usque ad finem permanent; continuae uero dicuntur, quae uel ſingulis, aut alternis diebus, ſuas exacerbationes et remiſſiones, minime uero intermiſſiones habent.

XI. Febris intermittens, eſt uel quotidiana, uel tertiana, uel quartana, aut quintana; quotidianam intermittentem dicimus, quae ſingulis diebus cum horrore et aeſtu ſubſequente, uel ſolo horrore, aut ſolo aeſtu, hominem

 inuadit,

inuadit, et praeterlapſis aliquot horis ceſſat.

XII. Tertiana intermittens eſt, quae iisdem ſtipata ſymptomatibus, tertio ſemper die, numerando a die primi paroxyſmi, recurrit.

XIII. Tertiana eſt, uel ſimplex, uel duplex; ſimplex, quae accurate ſtatum diem obſeruat, aliquot horas ſaltem uel citius, uel tardius accedens.

XIV. Tertiana uero duplex huiusmodi febrem intermittentem notat, quae ſingulis quidem diebus redit, non ſinguli autem paroxyſmi, ſed alterni ſibi reſpondent.

XV. Ita pariter idem cum quartana et quotidiana comparatum, quae uel ſimplices, uel duplices et triplices ſunt, quod pariter in continuis obſeruamus, unde diſtinctio febrium, tam continuarum, quam intermittentium, in ſimplices et multiplices, orta.

XVI. Febres continuae, quae per certas ſtatasque acceſſiones, ſeruato ſemper eodem temporis ordine, remittunt atque exacerbantur, periodicae dicuntur.

XVII. Continuae uero uagae atque erraticae ſunt, quae nullum certum tempus

in

in remiſſione atque exacerbatione obſeruant.

XIIX. Similis ſtatus in periodicis et uagis intermittentibus obſeruatur, niſi, quod loco remiſſionis atque exacerbationis, in illis, interualla nouae acceſſionis, uel certo, uel incerto tempore, contingant.

XIX. Febres praeterea reſpectu originis, uel idiopathicae, uel ſympathicae ſunt; idiopathicae, quae a nullo alio morbo prouenientes ex ſe pendent.

XX. Sympathicae, quae uulneribus, fracturis, luxationibus, uiſcerum inflammationibus atque ulceribus ſuperuenientes ſymptomatis habent rationem.

XXI. Febres continuae atque intermittentes reſpectu durationis, uel breues, uel longae ſunt; ex continuis longae ſunt, hectica et lenta tabifica; ex intermittentibus febris quartana et quintana.

XXII. Si ad gradus febrium continuarum reſpicimus, uaria earum dantur genera uariis inſignita nominibus; huc trahenda febris ephemera, ſynochus imputris, ſynochus putris, febris catarrhalis, purpura, uariolae, morbilli, cauſus, febris petechialis, hungarica, peſtilentialis et hectica.

XXIII. A genio et indole, quam febres obtinent, aliae malignae, aliae benignae ſunt: benignae; quae ſolita habent ſymptomata et periculo uacant.

XXIV. Malignae e contra febres ſunt, quae cum ſubitanea uirium proſtratione et grauioribus atque inſolitis ſymptomatibus inuadunt, et quando rem in tuto iudicamus, repente iugulant.

XXV. Malignae iterum in acutas, peracutas et acutisſimas diſtinguunt; acutiſſimas dicunt, quae quatuor dierum decurſu iudicantur et finiuntur.

XXVI. Peracutae ſunt, quae intra ſeptem nouemque dies communiter terminantur.

XXVII. Acutae, quae quatuordecim diebus ad terminum properant, et intra illud temporis ſpatium, uel mortem afferunt, uel ſanitatem reddunt.

XXVIII. Febris ephemera in legitimam et notham diſtinguitur; ephemera legitima, eſt febris continua breuisſima, unicum ſaltem diem perdurans, a fortiore mentis corporisque commotione aliisque cauſis occaſionalibus excitata.

XXIX. Febris ephemera notha pariter continuam notat per plures dies aegrotum diuexantem, ad quam referenda febris lactea,

ctea, tertia quartaue plerumque die a partu ex lactis in mammis collectione excitata.

XXX. Huius quoque loci eſt febris typhodes, quae Eryſipelas comitem habet, et repente intenditur, curato eryſipelate, ceſſat.

XXXI. Synochus imputris denotat febrem continuam, quae ad ſeptem dies extenditur.

XXXII. Synochus putris, eſt febris continua, maiore aeſtu moleſta, et diutius, quam ſeptem dies, durans.

XXXIII. Febris catarrhalis continua illa dicitur, quae praeter ordinaria ſymptomata, grauedinem, raucedinem, tusſim, dolorem articulorum uagum, ac tumores tonſillarum et glandularum ſublingualium coniunctos habet.

XXXIV. Purpura ſeu febris miliaris, iisdem quoque ſymptomatibus, quae catarrhali tribuuntur, ſtipatur, et in ſpecie ex puſtulis minimis, grana milii uix aequantibus, modo rubris, modo albis et pellucidis, unde diſtinctio in purpuram albam et rubram, cognoſcitur.

XXXV. Variolae nihil aliud, quam febrem continuam, cum puſtulis piſi dimidii

magnitudinem habentibus, quae in cute e
floreſcunt, coniunctam, denotant.

XXXVI. Variolae in ueras et nothas di
ſtinguuntur, illae ordinario cum febre con
tinua coniunctae admodum periculoſe ſunt
hae uero, et febris et periculi expertes de
prehenduntur.

XXXVII. Variolae nothae ſeu ſpuriae in
duas iterum claſſes diuiduntur, 1) in dura
et ſiccas, uulgo *die Stein Pocken*; 2) in aquo
ſas, quae hydatides repraeſentant, ac breu
ſpatio diſrumpuntur et ſiccantur, *die Win
und Waſſer Pocken.*

XXXVIII. Inter uariolas et morbillos ma
xima eſt ſimilitudo, et hi in eo ſaltem ab il
lis differunt, quod in morbillis, 1) exanthe
mata ſint minora, diuiſam lentis partem ae
quantia; 2) quod eadem ſine ſuppuratione
diſcutiantur, ſola cute aſpera et ſquamoſa
relicta.

XXXIX. Cauſus ſeu febris ardens, ſupre
mus febrium continuarum gradus eſt, at
que ab ardore intolerabili ſitique uehemen
ti nomen habet.

XL. Febris petechialis, dicitur continua
maligna, cum maculis paruis, pulicum mor
ſibus ſimilibus, aliquando quoque magnis
et latis, coniuncta.

XLI

XLI. Idem febrium genus, ſi illi faucium nflammatio, uehementiſſimus capitis door et delirium iunctum ſit, morbus ſeu feoris Hungarica uocatur.

XLII. Peſtis denique eſt febris maligna, contagioſa, uehementiſſimo aeſtu, ſiti, anxietate aliisque grauiſſimis ſymptomatibus ſtipata, bubonibus et carſunculis, qui cum uibicibus in uariis corporis partibus prorumpunt, comitata.

XLIII. Hectica, eſt febris continua chronica, pulſu debili et frequenti, caloreque praeſiceo et ſqualido, quem in principio uix ſentiunt aegroti, cognoſcenda.

XLIV. Hectica in tres gradus diſtinguitur, primus gradus eſt, ubi calor parum auctus et pulſus citatior, isque poſt paſtum ingraueſcens, absque notabili tamen uirium diſpendio, ſentitur; unde haec infirmitas ſub nomine debilioris conſtitutionis comprehenditur.

XLV. Alter gradus, ſeu hecticae incrementum eſt, ubi pulſus et calor augetur, illisque maior ſiccitas, debilitas, ſudor colliquatiuus et urina oleoſa adiunguntur.

XLVI. Tertius hecticae gradus, qui ſtatus ſeu ἀκμὴ appellatur, perfectum ſignificat maraſmum, ubi omni carne colliqua-

ta, gratia coloris perit, oculi concau fron; dura et ſicca, nares acutae, tempo collapſa ſunt, ubique oſſium extrema pr minent, et homo merum ſceleton cute ſu cinctum, et miſerum cum anhelitu trahe ſpiritum repraeſentat.

XLVII. Haec febris clam ſe inſinuans e agens, in principio periculo penitus uacat quando uero altas egit radices, difficillim curatur negotio, unde ſequens regula: he ctica in principio difficulter cognoſcitur facillime curatur; in augmento facilius co gnoſcitur, difficillime ſanatur; in ſtatu fa cillime cognoſcitur, penitus non curatur.

XLIIX. Ab hectica diſtinguenda febris len ta tabifica; haec enim ſympathica, illa idiopa thica; eſt haec febrem continuam chronicam a ſcirrho, exulceratione aliaque uiſcerum la be ortam, illa febrem chronicam a ſale acri alcalino, ſero minus temperato, absque uiſce rum morbo, prognatam, ſignificat.

XLIX. Febres porro, ratione cauſae ma terialis, in ſanguineas, bilioſas, pituitoſas, alcalinas et acidas diſtinguuntur, et ex iis ſignis, quae §. 84. et ſequentibus, capite IV. adducta, cognoſcuntur, iisque remediis, quorum eodem loco fit mentio, curantur.

L. Febres quoque, nunc endemiae, uti quar-

uartana Belgis, nunc epidemiae, u. g. pe-
echiales, uariolae, morbilli, purpura, peſtis,
unc ſporadicae ſunt, ut febres intermit-
entes, continuae, malignae, benignae,
um exanthematibus et ſine exanthemati-
us, uno eodemque tempore diuerſa affi-
ientes ſubiecta.

LI. Eſt enim morbus endemius, qui a
auſa communi et regioni propria ortum
abet, uti Polonis, uitio aquarum, plica
olonica; Belgis, ex copioſo lactis et la-
ticiniorum uſu, febres pituitoſae; Anglis,
b ferarum carnes et uinum generoſum,
uibus abutuntur, febres continuae; Stiriae
icolis, ſtrumae.

LII. Morbus epidemius uero nuncupa-
ur, qui a cauſa communi, non tamen re-
ioni propria, ſed tranſeunte, prouenit,
t dyſenteria popularis, aliique morbi con-
agioſi.

LIII. Sporadici morbi ſunt, qui ſpecie
nter ſe quidem differunt, ſed uno eodem-
ue tempore plures inuadunt, ita ut qui-
am pleuritide, quidam angina; alii dyſen-
eria, alii febribus intermittentibus de-
umbant.

LIV. Haec omnia, quae tenus hac ad-
luxi, ſedulo annotanda atque obſeruanda,
quo

quo conuenientem diagnoſin et progno-
ſin in febribus formare, et accommodati
remediis curam ſuſcipere queamus.

LV. Diagnoſis, eſt praeſentium per ſi-
gna cognitio, ſeu illa pars Semiologiae
quae ſigna diagnoſtica tradit et explicat.

LVI. Prognoſis, eſt altera Semioticae
pars, qua Medico de futuro euentu, et qui-
dem certorum ſignorum ſubſidio, conſtat.

LVII. Signa diuiduntur in diagnoſtica
et prognoſtica; his ab aliis adduntur ana-
mneſtica.

LVIII. Signa diagnoſtica ſunt, quaeprae-
ſentem indicant ſtatum, eumque ſanum
uel aegrotum.

LIX. Prognoſtica autem, quae futurum
ſtatum praeſagiunt, eumque in ſano, con-
ſtantem, uel morbo uicinum; in aegroto,
ſanitatem, uel mortem.

LX. Prognoſtica, 1) euentum, ſalutis nem-
pe et mortis, 2) tempus euentus, hoc eſt
breuitatem et longitudinem morbi, ac 3)
modum euentus reſpiciunt.

LXI. Quo igitur rite ſcias, morbos, in ſpe-
cie febres deſcribere, a ſe inuicem diſtin-
guere, ac qualis morbi exitus ſit futurus,
praeſagire, ſedulo Lommii obſeruationes
medicinales legas.

LXII.

LXII. Non ad febrium ſaltem et cetero-rum morborum cognitionem et diſtinctio-nem, ſed ad morbificarum quoque cau-ſarum notitiam ſigna maxime neceſſaria ſunt.

LXIII. Cura enim febrium ita ſuſcipien-da, ut nos cauſae morbi opponamus, ean-demque, tum corrigamus, tum euacu-emus.

LXIV. Plures et admodum prolixas cau-ſarum diſtinctiones in Pathologiis inueni-mus, omnes uero ad tria capita, 1) cau-ſam proximam, 2) antecedentem, 3) mani-feſtam ſeu occaſionalem, reuocari poſſunt.

LXV. Cauſa proxima eſt, inter quam et morbum nulla alia intercedit, et quae ipſam morbi eſſentiam conſtituit.

LXVI. Cauſa antecedens, denotat abſcon-ditam in corpore ad morbum diſpoſitionem, quae in actum deducta cauſam proximam ipſumque morbum efficit.

LXVII. Cauſa manifeſta, eſt omne illud, quod cauſam antecedentem, uel latentem in corpore diſpoſitionem commouet, et ad morbi generationem occaſionem praebet.

LXVIII. Si igitur homo cruditatum bili-oſarum copia laborans, poſt uehemens cor-poris

poris exercitium, aut mentis fortiorem commotionem, aut uini meracioris ingurgitationem, in febrem eamque continuam incideret, uini aut motus abuſus, uel ira, cauſam occaſionalem; dyſcraſia biliosa, cauſam antecedentem; et nimis auctus acceleratusque ſanguinis motus, cauſam proximam conſtituit.

LXIX. Vti autem cauſa proxima una eademque eſt in omnibus febribus, et graduum ratione ſaltem differentiam admittit, ita uariae ſunt cauſae febrium antecedentes et occaſionales.

LXX. Multiplices utique ſunt febrium cauſae antecedentes, aliae a ſuccorum abundantia, aliae ab eorum defectu proueniunt; aliae a ſalis alcalini exceſſu, aliae ab acidi praedominio generantur; aliae a bilis acrimonia et nimia quantitate, aliae a ſeri tenuis uiſcoſique accumulatione oriuntur.

LXXI. Praecipue autem maſſae uiſcidae exceſſum in quamplurimis febribus intermittentibus, ſalis econtra alcalini tum malam qualitatem, tum quantitatem in multis continuis inueniemus.

LXXII. Hoc tamen non perpetuae eſt ueritatis, dantur enim febres intermittentes bilioſae, ſolo aeſtu moleſtae; dantur

quoque

quoque febres continuae ab acidi uiſcidique praedominio et ſuccorum coagulatione prouenientes.

LXXIII. Continuae uero colliquatiuae, hectica, purpura, uariolae, morbilli, febris petechialis, ab alcalinae dyſcraſiae accumulatione ortum ducunt, unde in praeſenti ſtatu tam proficua ſunt acida et diluentia.

LXXIV. In occaſionalium et manifeſtarum examine cauſarum, rerum ſex non naturalium, cibi nempe et potus, aeris, quietis et motus, ſomni et uigiliarium, animi pathematum, excretorum et retentorum, habeatur ratio.

LXXV. Omnis febris origo a mala ciborum quantitate et qualitate haud ſemper et ſolum deriuanda; dehinc febrium ſedes uniuerſalis non eſt uentriculus, et ex hoc fundamento non ſemper conueniunt emetica.

LXXVI. Perfrequenter enim, ob ſuppreſſam, ab aere frigido et nebuloſo, tranſpirationem, febres oriuntur; et haec quoque uera eſt ratio, cur febres cumprimis quartanae, autumnali tempore tam frequentes ſint; haec quoque eſt cauſa, cur eaedem per emetica exaſperantur, ſolisque diaphoreticis curantur.

LXXVII.

LXXVII. Nimis aucta econtra tranſpiratio, quae disſipando ſerum tenue, masſae uiſcidae ſalisque alcalini accumulationi fauet, haud raro occaſionem et anſam febribus continuis praebet, uti idem tempeſtate nimis calida obſeruamus.

LXXVIII. Atque eodem modo uigiliae nimiusque motus febrium generationi fauent; contraria hic quietis ſomnique, in excitandis febribus, eſt ratio, unde contraria quoque cauſa materialis, quae contrariae remedia indolis poſtulat.

LXXIX. Quanta ſit uis irae, triſtitiae aliorumque affectuum in producendis febribus, plures obſeruationes quotidie occurrentes demonſtrant, et hoc praeſertim cholericorum exemplo probari poteſt, qui ob frequentiorem mentis exacerbationem, non febribus ſaltem maxime obnoxii ſunt, ſed ea de cauſa ſaepe quoque recidiuam patiuntur.

LXXX. Exinde quoque cholericis maxime infeſta eſt hectica; atque illi, qui hectica laborant, ſi antea non fuerunt, euadunt cholerici, eoque ipſo febris magis magisque intenditur.

LXXXI. A ſuppresſis ſecretionibus aqu[e] excretionibus, ſolennibus febres, tam conti-

nuas

nuas, quam intermittentes excitari, docent ea, quae alui conſtipationem pertinaciorem, fluxum menſtruum aut haemorrhoidalem ſuppreſſum, ſymptomata ſequuntur.

LXXXII. Nec a retentis ſaltem, quae excernenda erant, ſed a nimis auctis quoque ſecretionibus atque excretionibus eadem oboriuntur mala; hoc confirmat febris nimium fluxum menſtruum, dyſenteriam et diabetem comitans ac ſequens.

LXXXIII. Quid igitur de ſic dictis ſpecificis febrifugis ſit iudicandum, haud difficile eſt enodatu, eadem quippe, uel ſunt remedia particularia certae ſaltem dicata cauſae, et hinc, ut conueniens eorum fiat applicatio, exactum Medici iudicium requirunt; uel inutilia penitus ſunt, et ſaepius plane noxia.

LXXXIV. Alia autem proſtant febrifuga, quae ad intermittentium, alia, quae ad continuarum febrium medelam commendantur; pro ſpecificis intermittentium antidotis, amara, ſalia fixa, cortex chinae et pulueres ſpecifici Strobelbergeri habentur.

LXXXV. Ad curam continuarum praecipue ſic dicta bezoardica commendantur; cum uero per eadem ſpiritus uolatiles, nempe bezoardicus Buſſii, liquor cornu cerui

ſuccinatus, aliaque ſimilis medicamenta genii intelligantur, quae utilitas ex promiſcuo eorum uſu ſit expectanda, et tyro Medicinae perſpicere poteſt.

LXXXVI. Summum ſane detrimentum commemorata remedia in febribus continuis a dyſcraſia bilioſa aut alcalina obortis inducunt; plura in ſpecie incommoda, eadem in uariolis, ſcopo expellendi, praeſcripta creant.

LXXXVII. Eadem ferenda ſententia de mercurio peculiari arte praeparato, de eſſentia, oleo et cryſtallis antimonii, de ſpiritu ſalis ammoniaci, quae omnia Agricola (d) pro magno ſecreto in quartana habet.

LXXXIIX. Nec meliorem cenſuram, nec maiorem applauſum merentur ea, quae Angelvs Sala (e) de alumine crudo et illius phlegmate, Varignana (f) de ſemine hyperici, Rvlandvs (g) de ſtercore uaccino recenti cum aqua cardui benedicti iuncto et tranſcolato, tanquam certis febrium remediis, afferunt.

LXXXIX.

(d) Tract. de Mercurio p. 21. it. Tr. de Antimon. p. 99. p. 184. et 187. (e) in Exegeſi Chymiatrica p. 661. (f) Secret. ſublim. Tract. 1. ſerm. 2. cap. 1, 2. 3. 4. et 5. (g) Pharmacopaea noua, theca 3. pag. 41.

LXXXIX. Certius curae febrium conſtituemus fundamentum, ſi tam ad formalitatem materiae peccantis, quam ad originem et ſedem mali reſpiciamus.

LXL. Ante omnia conſiderandum, an adhuc febris, praeſertim ſi continua, principium adſit, an uero eadem in augmento uel ſtatu conſtituta?

LXLI. Quatuor quippe tempora in febribus deprehendimus, 1) principium, ubi omnia mitiora; 2) augmentum, ubi magis magisque ſymptomata intenduntur; 3) ſtatus, ubi ſummus aeſtus urget, et quorumuis malorum maxima uehementia, ita, ut uix amplius intendi queant; 4) declinatio, ubi remittit morbus, et omnia denuo ad naturalem ſtatum redire incipiunt.

LXLII. Quatuor illa tempora, uel ſunt uniuerſalia, quae totius febris decurſum et terminum complectuntur; uel particularia, quibus quiuis paroxyſmus febrilis conſtat.

LXLIII. Si igitur febris continua curanda, quae modo inchoauit, atque indicia cruditatum in uentriculo haerentium adſunt, emetico ordinato uentriculus expurgandus, quod minus commode, nec ſine periculo, in febris augmento et ſtatu fieri poteſt.

LXLIV. Idem quoque circa uſum uenae

ſectionis obſeruandum eſt, quae in febrium continuarum principio inſtituta, haud raro ad perfectam et radicalem febris curam ſuffecit; in augmento autem, ob uires detritas atque exhauſtas, ſaepius nocuit.

LXLV. Minime tamen credendum, quod uenae ſectio, primis ſaltem diebus, ſecundo, tertio, et quarto emolumentum afferat, reliquis uero abſolute noceat; melius quidem eſt, in principio, ſi indicantia adſint, uenae ſectionem ſuſcipere, ſed quando eadem omiſſa fuit, aut ſufficiens quantitas non euacuata, uel adhuc inſtituenda, uel repetenda erit uenae ſectio.

LXLVI. Tantum quoque abeſt, ut affirmemus, in omni febri continua uenae ſectionem neceſſariam eſſe, quin potius eandem ſaepius noxiam pronunciemus.

LXLVII. Ad hoc eo melius cognoſcendum, ſiſtamus nobis aegrotum febri continua laborantem, qui continuis lucubrationibus et peruigiliis ſerum tenue exhauſit, et ſalia acria accumulauit; in huiusmodi aegroto maximum deprehendemus aeſtum, ad quem ſedandum, non uenae ſectio, ſed ſeroſa, nitrata, emulſiones ex ſeminibus quatuor frigidis maioribus, et refracta opiatorum doſis conueniunt.

LXLIIX.

LXLIIX. Si enim in tali rerum ſtatu ſanguinem e ſecta uena mittis, exiguam uirium doſin, quae adhuc reſidua, et ad morbi exitum ſuſtinendum, maxime neceſſaria, ſubtrahis; unde uel morti ſuccumbere tenetur, aut morbus diutius protrahitur, atque aegrotus nonniſi difficillime reſtituitur.

LXLIX. Prouti in continuarum medela febrium non ſemper uenae ſectio prodeſt, ita in intermittentibus non ſemper eadem repudianda; nam ſaepiſſime febres intermittentes tertianae plethoricos et plethoricas inuadunt, et ſuppreſſum fluxum haemorrhoidalem aut menſtruum ſequuntur, in quo caſu non utilis modo, ſed maxime etiam neceſſaria ſufficiens ſanguinis euacuatio.

C. Praecipuum uero artificium curandi febres, in perſpiratione conuenientibus remediis promota, conſiſtit; illi enim, qui probe tranſpirant, a febribus liberi exiſtunt, et ſi in febrem incidunt, huius ſecretionis beneficio, facile iterum reſtituuntur.

CI. Nam, quod nobis in febribus maxime moleſtum, eſt calor; calor uero a partium ſalinarum et ſulphurearum attritione dependet; attritio illa haud temperabitur, niſi diminuto partium in ſe inuicem

 niſu;

niſu; niſus autem idem manebit, manente eadem particularum quantitate et qualitate.

CII. Sola igitur perſpiratio eſt illud naturae ſubſidium, cuius adiumento, excretis particulis acribus ſalinis, et hinc diminuta preſſione inter atterenda atque attritura, a febribus immunes conſeruamur, aut ſi iisdem iam laboramus, denuo liberamur.

CIII. Dum perſpirationis, in febribus curandis, neceſſitatem praetendimus, non promiſcuum ſic dictorum diaphoreticorum et ſudoriferorum uſum commendamus.

CIV. Nec confundenda perſpiratio inſenſibilis cum ſenſibili, illa enim ſemper conducit, haec minus; illa eliminando duntaxat acres orgaſticas particulas aeſtum minuit absque uirium diſpendio, haec uero aufferendo ſimul multum limphae gelatinoſae maximam inducit debilitatem.

CV. Ex his autem liquet, quam cenſuram illi mereantur, qui ad promouendam perſpirationem, remediis acribus uolatilibus, qualia ſunt ſpiritus cornu cerui, ſal uolatile oleoſum Syluii, ſpiritus bezoardicus Busſii, utuntur.

CVI.

CVI. Haec tamen remedia non penitus repudianda ſunt, ſed magnam habent utilitatem in febribus ab acida dyſcraſia et ſuccorum coagulatione prognatis; ſocies uero eadem cum diluentibus.

CVII. Quo igitur ſciamus, quibus diaphoretis, ac qua doſi, quo uehiculo, uti debeamus? quaenam diaphoreticis ſint praemittenda? paucis propoſitis caſibus, totam febrium curam trademus.

CVIII. Si aegrotus febri intermittente, ſiue ſit quotidiana, ſiue tertiana, uel quartana, laborans, peruerſa uictus ratione uſus fuit, et hac de cauſa nauſeam, cardialgiam, alui conſtipationem, uentris tormina, aliaque ſentit incommoda, ex quibus de cruditatibus primarum uiarum certus reddor, praemiſſis digeſtiuis, uel per emetica, aut purgantia, quorum capite III. §. 63. et ſeq. §. 180. et ſequentibus, facta mentio, canalis alimentorum expurgetur.

CIX. Hoc, pro circumſtantiarum uarietate, peracto, aut omiſſo, conſideres, num febris, cuius curam in te ſuſcepiſti, ſit idiopathica, uel ſympathica? ſi ſympathica, medelam ad morbum eſſentialem, a quo febris pendet, dirige; ſi idiopathica, inquiras in cauſae materialis formalitatem, alia enim

 diapho-

diaphoretica febres bilioſae, alia pituitoſae requirunt; alia praeſcribenda, ubi ſolidorum laxitas, alia, ubi eorum rigiditas peccat.

CX. In bilioſa igitur febri, quam ex iis ſignis, quae capite IV. §. 94. et 95. in delineatione dyſcraſiae bilioſae, adduximus, cognoſcere potes, omnia bezoardica, omnia ſalia alcalia fuge, et horum loco, neutra, acida et aquoſa praeſcribe, his temperabitur et penitus aufferetur, leni procurato madore, aeſtus.

CXI. Si iam profluit mador, de eo ſis ſollicitus, ut calido infuſi Theae potu, uſuque ſalium acidorum et neutrorum, quae quouis bihorio ad ſcrupulum unum praeſcribi poſſunt, eundem conſerues, materiamque peccantem hac uia eliminando, febrem profliges.

CXII. Eadem methodus ad febrium pituitoſarum curam adhibenda, ſed alia eadem requirit ſubſidia; hic ſalia alcalia, quae in bilioſis repudiauimus, maxime proſunt, nec reiicienda uolatilia ſeroſis temperata; illis maſſa uiſcoſa ſucceſſiue reſolui, ſerum abundans diſſipari, atque e corpore eliminari, liberaque et naturalis circulatio reſtitui poteſt.

CXIII.

CXIII. Amara cumprimis, eſſentia ſcilicet fumariae, abſinthii, centaurei minoris, trifolii fibrini, elixir propietatis Paracelſi, eſſentia lignorum, tinctura antimonii, infuſum ſaluiae et trifolii fibrini hic proſunt.

CXIV. Haec omnia longe praeferenda ſunt cortici Peruuiano, decantato illi febrifugo, quod multi tanti faciunt; ille enim maximam partem ſubſtantia terrea et perpauco ſale fixo conſtat; hinc idem remedium adſtringens et abſorbens, quod in fibrarum laxitate curanda prodeſt, conſtituit.

CXV. Cura igitur, quae per Chin-Chinam inſtituitur, eſt mere palliatiua; nam materia peccans huius uſu non corrigitur, nec eliminatur, ſed praecipitatur, ſedatisque cordis ſpaſmis, febris quidem ceſſat, ſed breui iterum redit, aut in alios morbos deteriores degenerat.

CXVI. Ac hoc certe non mirandum, terrea penitus eſt Chinae ſubſtantia, extractum, ſecundum Hombergii experimentum, opio ſimile, praebens; hinc cortex allegatus minus conducit ad maſſae uiſcidae correctionem, ſed potius obſtructiones, incuneationes et ſcirrhos generando, chronicis et peſſimis morbis anſam et fomitem praebet.

CXVII. Aluum Chin-Chinae uſu mo
ueri, regeris, ex hoc de principio illiu
ſalino et ſtimulante ſatis conſtare, perhi
bes, aſt hoc quaeuis terrea in iis, quorun
fibrae laxiores, uti §. 212. capite III. expli
catum, praeſtant; deinceps hic effectus po
tius a particulis ſcabris et rudioribus chi
nae, quam a ſale quodam deriuandus.

CXVIII. Virtutem quidem reſoluentem
habet Arſenicum, atque ex ea ratione idem
Friccivs (h) in tertiana febri, ad grana
duo, tria, uel quatuor copioſo ſociatum ue
hiculo ſeroſo commendat, aſt uti chinam
ob ſubſtantiam terream adſtringentem, ita
arſenicum, ob impenſiorem ſulphuris ſale
aculeati acrimoniam erodentem, repudio.

CXIX. Si reſoluens deſideras, ſatis generoſa et ſatis tuta habemus; utaris ſale cardui benedicti; adhibeas flores ſalis ammoniaci ſimplices et martiales; coniungas cum antimonio diaphoretico ſal uiperarum, uel ſuccini, uel cornu cerui; et ſi pulueres reſpuit aegrotus, praeſcribas eſſentias, ſpiritus et infuſa ex allegatis rebus parata.

CXX. Praeter haec, plura remedia, tanquam ſpecifica atque uniuerſalia febrifuga
com-

(h) Lib. de Virtutibus uenenorum medicis cap. 2.

commendantur, nempe puluis antifebrilis Schroederi, Hoffmanni, Saltzmanni, Ettmvlleri, *de* Spina, Gockelii, Rolfincii, Timaei, Deckeri, Lentilii, Minsichti, Bvrneti, Cablowitsky, Podchocinsky, Charas, quorum omnium formulas apud Ivnckenivm (i) annotatas inuenimus; haec uero omnia, ſunt partim remedia particularia, quae in hoc illoue caſu ſaltem conducunt, partim inutilia et noxia, quale febrifugum ſpecificum Podchocinsky, quod ex opio et magiſteriis calciformibus compoſitum febres cum relictis uiſcerum obſtructionibus curat.

CXXI. Superius allegata remedia non penitus reiicio, ſed hoc ſaltem circa eorum uſum monendum iudico, ne eadem promiſcue in omnium febrium cura, tanquam certas earum panaceas, adhibeamus, ſed prius examinemus, an idem, quod praeſcribimus, ad cauſae correctionem atque expurgationem conueniens et ſufficiens ſit.

CXXII. Hoc probe quoque obſeruandum, ne febrifuga, imminente aut praeſente paroxyſmo, exhibeamus, ſed eodem iam finito; quod pariter in uſu purgantium atque emeticorum neceſſarium eſt, quae

(i) Corpore Pharmaceutico - Chymico - Medico uniuerſali, Sect. III. cap. 21. p. 801. et ſequ.

quae tempore intermiſſionis praecipue u
ſurpanda ſunt.

CXXIII. Maiori adhuc ſedulitate et ci
cumſpectione continuarum febrium cu
ſuſcipienda; cauſa materialis, iisdem, qu
ad dyſcraſiarum correctionem capite I
§. 84. ad 98. commendauimus, alteranc
atque expurganda; et hoc quidem mo
in morbi principio perficiendum, quand
uires adhuc integrae; in ſtatu enim parur
uel nihil agere poteſt Medicus.

CXXIV. Praecipue aluus aperta, liber
que ſeruetur perſpiratio, a quibus ſuppreſſi
difficilem reſpirationem, anxietatem, aliaqu
incommoda induci atque augeri animac
uertimus; aluus tuto per clyſteres reſer
tur, et perſpiratio omnium optime diluer
tibus calidis promouetur.

CXXV. Inter diluentia, ſcopo tranſpi
rationem excitandi, commendatum ſit Me
dico infuſum ex lactuca et cariophyllis off
cinalibus paratum, quod cum ſcrupulo ſa
lis cardui benedicti, uel arcani duplicat
aut cryſtallorum tartari, praeſtantiſſimun
diaphoreticum conſtituit.

CXXVI. Ne autem aluus, clyſteris ſub
ſidio, aperta, denuo obſtruatur, et de
hinc flatus coaceruati et retenti, diſtenden

de

lo canalem alimentorum, moleſtiam no-
iam inducant, haec uia, tum ſalium, tum
liluentium ope, libera patensque ſeruanda.

CXXVII. Ex his, quam iniurii in aegro-
os iſti ſint, qui illis quorumuis potulento-
um uſum diſſuadent, uidemus; in leni eo-
ue continuo madore febricitans conſer-
iandus; magna hoc modo ſeri tenuis fit
actura, quod, niſi accommodatis potulen-
is reſtituatur, aegrotus ſuccis uitalibus pri-
iatus perire tenetur.

CXXVIII. Quaeuis uero potulenta ae-
groto promiſcue non concedenda, ſed
raeſtat, ſimplicia et ad morbi curam con-
grua praeſcribere; congrua uero ſunt il-
is, qui ex dyſcraſia alcalina ſeu bilioſa, febri
aborant, aqua ſimplex cum ſucco citri, a-
ua fragorum, decoctum hordei, auenae,
eraſorum.

CXXIX. Illis autem, quibus cruditates
cidae incommodum pariunt, decoctum
corzonerae, infuſum Theae, Theae Boy,
Coffeae, cereuiſia tenuior bene lupulata
cum gelatina cornu cerui, ordinarii loco
otus, conueniunt.

CXXX. Obſeruato, hac ratione, conue-
ienti in rerum ſex non naturalium uſu,
egimine, et exhibitis congruis remediis,
minus

minus neceſſarium, cuiuis ſymptomat
u. g. capitis dolori, ſiti, peculiare opp
nere remedium; haec enim omnia ab u
eademque origine et cauſa materiali depe
dent, et ſimul cum profligato morbo e
ſentiali ceſſant.

CXXXI. Nec peculiarem fiduciam in ſ
dictis cardiacis atque expellentibus rem
diis ponas, quibus multi Medici, in purp
rae, petechiarum, uariolarum et morbill
rum cura, cum ſummo detrimento, im
interitu aegrotorum, utuntur.

CXXXII. Dependent illae febres, u
iam §. 73. praeſentis capitis indicaui, a ſal
alcalini, tam quantitate, quam qualitate pe
cantis, praedominio; ex quo patet ſic d
cta cardiaca et bezoardica in hiſce morb
peſſima eſſe uenena.

CXXXIII. Haec quoque eſt ratio, cur d
uitum infantes uariolis laborantes, qui ſic d
cta cardiaca deuorare coguntur, maximan
partem pereant; cum pauperes, acida u
nihil penitus adhibentes priſtinam recu
perent ſanitatem.

CXXXIV. Hoc ingenue fateri teneor
quod multi Medici ſic dicta bezoardica uo
latilia praeſcribentes plures interficiant a
gro

grotos, qui, ſi nullis medicamentis uſi fuiſſent, adhuc conſeruari potuiſſent.

CXXXV. Tanquam morbus periculoſiſſimus, febris miliaris alba conſideratur, ſed eadem in ſe non tam periculoſa eſt, ſed remediorum acrium et uolatilium abuſu perniciosa redditur; ſaepiſſime enim purpuram albam in febribus continuis cum aegrotorum emolumento et ſanitatis recuperatione effloreſcentem uidi.

CXXXVI. Ipſa peſtis, ſi ea, quae morbificae cauſae genio accommodata ſunt, praeſcribimus, facilem admittit medelam.

CXXXVII Ad peſtis cauſam rite indagandam, neceſſarium eſt, ut ad antegreſſam tempeſtatem reſpiciamus, eamque cum praeſenti, et exinde facta in corporibus humanis mutatione conferamus.

CXXXVIII. Fruſtra dehinc et cum damno ſaepius ſic dicta alexipharmaca, camphora, eſſentia pimpinellae, contraierуae, zedoariae, in peſte adhibentur, cum eadem frequentiſſime a ſale admodum acri et uolatili, quod dictis remediis augetur, ortum ducat, uti uehementer et repentina putrefactio, foetor intolerabilis, pluraque alia grauiora ſymptomata demonſtrant.

CXXXIX.

CXXXIX. Huiuſmodi peſtis ordinari tempeſtatem feruidam et ſiccam ſequi tur, unde quoque adducta remedia peni tus repudianda, et horum loco bezoardic acida adhibenda, quae hic praeſentiſſimum exerunt effectum, quod pariter Bartho linvs (k) confirmat, referens, quod Sueci graſſante peſte, ſolo aceto calendulae ſe muniuerint atque incolumes euaſerint.

CXL. Haec mutanda iterum medicamen ta, quando peſtis tempeſtati frigidae et hu midae ſuccedens in ſuccorum condenſatio ne conſiſtit, tunc ea, quae §. 138. comme morata, maxime proficua erunt.

Capvt VI.

DE SCORBVTO VARIISQVE ILLIVS SPECIEBVS.

I.

Scorbutus praecipue peculiarem ſangui nis cacochymiam ſalino-muriaticam, quae ϛομακάκην et σκελετίρβην comites ha bet, et Britannis, Batauis, Suecis, Danis Noruegis endemia eſt, denotat.

II. Ma-

(k) Hiſtor. Med. Cent. 4. obſ. 13.

II. Maximam uero partem, ſcorbutus, uti ſcripta Medicorum teſtantur, quamuis ſanguinis impuritatem ſignificat, et ſummum genus cauſarum morbificarum, quae in fluido haerent, conſtituit.

III. Hoc ſatis ſuperque probat ueterum in calidum et frigidum ſcorbutum diuiſio; hoc confirmat diſtinctio ſcorbuti in ſalino-acrem, ſalino-acidum et pituitoſum, a recentioribus ſuppeditata.

IV. Nullus igitur morbus occurret, exceptis iis, qui per iniuriam externam inferuntur, ubi ſcorbutus non ſit accuſandus.

V. Hac ratione icterus, plica Polonica, elephantiaſis, lues uenerea, ſcabies, arthritis, nihil aliud ſunt, quam ſcorbuti ſpecies, quae a peculiaribus ſymptomatibus ſua nomina acceperunt.

VI. Huc merito etiam cachexia refertur, quae malum totius corporis habitum, in ſpecie leucophlegmatiam ſignificat; leucophlegmatia uero, nihil aliud eſt, quam ſcorbutus frigidus, ſecundum ueteres, uel uiſcidus, ſecundum recentiores, cum flaccido totius corporis habitu, pallore et uirium imbecillitate coniunctus.

VII. Morbus regius ſeu icterus, qui aliis quoque arquatus atque aurigo dicitur,

eſt mutatio coloris naturalis hominis in fla
uum, a ſcorbuto bilioſo cum ſucco nutricio
per totius corporis ſuperficiem diffuſo pro
ueniens.

VIII. Icterus in flauum, nigrum e
album diſtinguitur, et haec diuiſio tum
a uario colore, tum a diſcrepante mate
riae peccantis indole ortum traxit; ſi e
nim maſſa bilioſa ſincerior excedens, colo
rem auro ſimilem corpori inducit, flauus
appellatur.

IX. Sin uero bilis una cum pituita abun
det, et color flauus cum pallore excitetur
icterus albus, ſeu chloroſis uocatur.

X. Si demum ſalia craſſa et particulae
terreae bili ſint permixtae, et nigra penitus
flauaque reddatur corporis ſuperficies, icte
rus niger hinc emergit.

XI. Plica Polonica denotat inextricabile
crinium, quaſi uiſco oblitorum tricas et fu
niculos a ſcorbuto ſanguinis uiſcoſo et ſalino
acri generatos.

XII. Elephantiaſis ſeu lepra Arabum, eſ
ſcabies cancroſa et maligna, maculis ad ni
grum colorem uergentibus ita cutim de
turpans, ut corio elephantis ſimilis euadat
a ſcorbuto admodum acri et fixo proue
niens.

XIII. Lue

XIII. Lues uenerea, eſt uirulenta et contagioſa totius corporis cachexia, gonorrhoea uirulenta, puſtulis ſubalbis, erodentibus, ſebaceis, ſquamoſis, pruritu, ardore, ulceribus depaſcentibus ſtipata, ex impuro coitu, uel conſuetudine cum infecta perſona contracta.

XIV. Scabies, eſt cutis aſperitas et leuis exulceratio cum pruritu coniuncta, quae n uariis locis cutem puſtulis exiguis, molo ſiccis, modo humidis infeſtat et corumpit.

XV. Diſtinguitur ſcabies in benignam et naligna m, haec cum febri continua conuncta eſt, et pertinet ad morbos acutos eu breues, et eodem, uti uariolae, modo, uratur, illa uero absque febri eſt, et refeenda in catalogum morborum chroniorum.

XVI. Scabies benigna iterum duplicis t generis, alia nempe humida, ubi puulae in ulcuſcula pus fundentia degenent, alia ſicca, quarum puſtulae, absque ppuratione in ſquamulas abeunt.

XVII. Arthritis, eſt dolor maxime moleis atque exquiſitus circa partes neruoſas ticulorum a fibrarum neruoſarum irritaone aut preſſione excitatus.

XVIII. Arthritis in fixam et uagam, fri-
gidam et calidam diſtinguitur; arthritis fi-
xa, pro ſede mali, nunc podagra, ſi pede
nunc chiragra, ſi manus, nunc iſchiagra
ſi iſchium afficitur, appellatur.

XIX. Cauſa materialis omnium illorum
affectuum, quos modo recenſui, in mal
ſuccorum qualitate et quantitate, adeoqu
in ſcorbuto conſiſtit.

XX. Scorbutus idem ſignificat, quo
cacochymia, intemperies, impuritas, cru-
ditas, dyſcraſia, uti idem iam capite I
§. 48. indicaui; hinc uariae ſcorbuti ſpecie
ex iisdem ſignis, quae capite IV. §. 84. a
98. adduxi, cognoſcendae, iisque, qua
eodem loco commendata fuerunt, reme-
diis emendandae.

XXI. Hydrolappathum nigrum, ex qu
cum aromatibus coniuncto, remedium a
ro pretioſius, contra omnem ſcorbuti ſuſp
cionem confici, Mvntingivs (l) tradit, ad ſer
ſi acidique medelam ſcorbuti ſaltem prode

XXII. Simile et haud leue praeiudiciu
eſt, quo alii occupati, uel in ſpiritu an
ſcorbutico Michaelis, uel in ſyrupo ſce
tyrbio Foreſti, uel in tinctura coralliorum
a

(l) Tract. de Herba Britannica Galeni.

aut eſſentia lignorum, pini, uel in cochlearia, naſturtio, ruta muraria, angelica, uim contra omnes ſcorbuti ſpecies ſufficientem quaerunt.

XXIII. Diuerſa eſt huius morbi origo, uaria illius indoles, iſteque Proteo mutabilior. Vbi idem uitio aeris et aquae contractus endemius eſt, horum mutatio praecipuum curae fundamentum conſtituit.

XXIV. In ſuppreſſa ſecretione atque excretione ſolenni, quam uariae ſcorbuti ſpecies excipiunt, eliminanda ea, quae in corpore reſtagnant, et ſecundum regulas capite IV. §. 84. et ſequentibus, datas, remedia cauſae et conſtitutioni aegroti accommodata ſeligenda.

XXV. In icteri autem, qui a ſcorbuto bilioſo ortum ducit, cura, praeter ea, quae capite IV. §. 95. et 96. adducuntur, haec duo expendenda 1) an icterus a bilis acrimonia, uel abundantia, absque hepatis uitio, 2) an ab hepatis obſtructione alioque illius morbo ortum duxerit?

XXVI. Haud exiſtimandum, uti quibusdam perſuaſum, quod omnis icteri origo ab hepatis obſtructione ſit deriuanda; ſaepe enim nullum adeſt in hepate uitium, uti ex bona et naturali conſtitutione et calore

 hypo-

hypochondrii dextri, libera aluo, et naturali fecum colore cognoſcere poſſumus.

XXVII. Hic bilis acrimonia praecipue in culpa eſt, quae fermenti inſtar, totam diſſoluens maſſam ſanguineam ſe e reliquarum particularum contextu extricat, atque inficiendo ſuccum nutricium, naturalem corrumpit colorem.

XXVIII. Hepar uero, hic non ſemper ex nexu eſt, ſed haud raro, ob obſtructionem et impeditam bilis ſecretionem, huius morbi cauſam conſtituit; hoc uero ex hypochondrii dextri duritie, tumore et calore praeternaturali, aluo adſtricta, fecibus duris et albis perſpici poteſt.

XXIX. Icterus ab hepatis obſtructione alioque ſimili morbo inductus ſympathicus eſt, et nulla alia ratione, quam reſerato hepate, curari poteſt; unde hic apozema emolliens et reſoluens per quatuordecim dies, interpoſito leniorum purgantium uſu, bibendum, et hoc peracto, purgans fortius, uel emeticum adhibendum.

XXX. Vitriolum, ſal myſeum et liquor ſulphuris reſoluti, a quibus Paracelsvs (m) icteri cauſam deducit, in catalogum fictarum atque obſcurarum phraſium referenda.

XXXI.

(m) lib. de Ictero capite 1.

XXXI. Immerito HELMONTIVS (n) fermentum uentriculi accuſat, atque ab illius uirulentia arquati originem deducit; licet interdum cruditates bilioſae in uentriculo haerentes ictero fomitem praebeant.

XXXII. Omnis uero icteri cauſa ex uentriculo nequaquam arceſſenda; hinc ſaepe emetica nocent, quae in alio icterum perfecte curarunt.

XXXIII. Haec, hiſtoria, quam affert HORSTIVS (o) confirmantur, ubi aurigo ab immodica pomorum et caſtaneorum uſu ſuſcitata, emetico et purgantibus curata fuit.

XXXIV. Quale autem emolumentum ab his expectabis, ſi icterus ſit criticus, et febri ſuccedat? uel, ſi idem ab aeris feruore obortus fuerit, uti idem plurimis Sardiniae incolis ſub finem aeſtatis, teſte VALESCO *de* TARANTA, (p) accidit; hic emetica et purgantia atque acria ſudorifera non conducunt, ſed uſus aquae ſimplicis nitratis atque acidis ſaturatae iuuat.

XXXV. Icterus, qui morſus animantium uenenatorum ſequitur, diaphoretica, nequaquam uero alcalina, ſed acida requirit; hinc oxymel ſimplex uel ſquilliticum, acetum

 lili-

(n) Tr. ſchol. hum. paſſ. decept. cap. 5. (o) lib. 4. obſ. 36. (p) Philon. Pharmaceut. l. 5. cap. 8.

liliorum conuallium, cum infuſo acetoſae exhibita, ad proliciendum ſudorem eliminandamque maſſam uirulentam ſufficiunt.

XXXVI. Hoc modo pro circumſtantiarum uarietate, aliis remediis, quae ad icteri curam commendantur, uti poſſumus; non autem in uno alteroue panacea ſeu arcanum, ad omnis icteri a quacunque cauſa orti curam ſufficiens quaerendum, uti nonnulli cum Horat. Avgenio, (q) de ſale ammoniaco, cum Aegineta, (r) de ſucco raphani, cum Bartholino, (s) de ſucco cichorei, cum Grvlingio, (t) de pullorum gallinaceorum excremento albo, aliique de radice uincetoxici, filicis, ſcorzonerae, croco, extracto aquilegiae, tinctura martis, perhibent.

XXXVII. Leucophlegmatia, cum ſcorbuti uiſcidi et ſeroſi ſpecies ſit, non alia, quam quae §. 90. capite IV. et ſequentibus, commendata ſunt, remedia, poſtulat.

XXXIIX. Duo hic conſideranda, 1) ut cauſas occaſionales remoueamus, 2) ſerum uiſcidum reſoluamus, abundans euacuemus, et fibras laxiores roboremus.

XXXIX.

(q) Epiſt. et Conſil. Med. l. 10. cap. 1. (r) de re medica lib. 3. cap. 50. de morbo regio (s) Cent. 1. obſ. 9. (t) Med. Pract. lib. 3. c. 1.

XXXIX. Saepius leucophlegmatia ortum ab otio et uita ſedentaria habet; nonnunquam febres pituitoſas per abſorbentia male curatas ſequitur; frequentiſſime copioſorum ingurgitationi potulentorum ſuccedit; haud raro ſuppreſſas ordinarias ſecretiones excipit; in quibus caſibus, quies cum motu, terrea cum aperientibus, fluida cum ſiccis permutanda, et tranſpiratio inſenſibilis, fluxus menſtruus, aliaeque ſecretiones reſtituendae.

XL. Deinceps maſſa uiſcoſa decocto lignorum, infuſo ſaluiae, fumariae, eſſentia pimpinellae, angelicae, rhabarbari, diluenda, reſoluenda atque expurganda.

XLI. Decoctorum atque infuſorum, quae cum aqua parantur, loco, uina ex commemoratis ſpeciebus confecta, in ſeri cum uiſciditate abundantia et ſolidorum flacciditate uſurpari poſſunt.

XLII. Sero abundante euacuato, et maſſa uiſcoſa reſoluta, martialia, amara et aromatica, quo fibris debitum reddatur robur, exhibenda ſunt.

XLIII. Omnia purgantia, quae in leucophlegmatia maximum afferunt emolumentum, a multis in plicae Polonicae cura una cum uenae ſectione penitus damnantur.

XLIV. Quo uero iure, qua rei conue-
nientia hocce fiat, ex huius mali origin-
et materialis cauſae formalitate perſpicer-
poſſumus; peccat hic pituita immeabilis i-
ſinu ſuo ſal alcali incluſum fouens; contra-
hitur allegatum malum ex potu aquarum
Viſtulae plures impuritates easque coagu-
lantes ſecum uehentium; imbuitur tum ca-
nalis alimentorum, tum tota maſſa ſanguine-
huiusmodi impuritatibus; ſumme dehin-
neceſſarium, ut tam primas uias, quam
ſanguinem ab hiſce ſordibus liberemus.

XLV. Et quid agendum, ſi plethoricu-
plica laborat Polonica? quis in tali caſu di-
ſuadebit uenae-ſectionem?

XLVI. Purgantia uero uehementiora, ea-
que ſola, hic non ordinanda, ſed uel feroſi-
diluenda et temperanda, uel mitiora adhi-
benda ſunt.

XLVII. Lycopodium, quod plicariam
alias et cingulariam Sarmatae dicunt, non
eſt ſpecificum et uniuerſale remedium pli-
cae Polonicae, ſed idem cum decocto bran-
cae urſinae et fermento paratum, conſtitui-
remedium diluens et reſoluens, quod in
iſto morbo magnae eſt uirtutis.

XLVIII. Maior adhuc uiſciditas in elephan-
tiaſi, quam plica Polonica peccat, hinc quo-
que

que remedia ex uiperis parata hic tantopere proſunt.

XLIX. Hoc uero non uiperina ſaltem remedia, ſed plura alia praeſtant, nempe decoctum ulmi, radix arboris Malabariae, quae Moringa dicitur, decoctum turionum et ramorum arboris laricis, cornu cerui ſine igne, uti obſeruationes BARICELLO, (u) CHRISTOPH *a* COSTA, (w) CLAVDINO, (x) SENNERTO (y) annotatae confirmant.

L. Ptyaliſmus quoque mercurialibus inſtitutus medicamentis in elephantiaſis cura, ſi ſimul decoctum lignorum hauriatur, maxime congruus eſt.

LI. Mercurialia praeſtantiſſima quidem ad maſſae uiſcoſae reſolutionem remedia ſunt, certam uero luis uenereae antidotum non conſtituunt.

LII. In multis enim non procedit ſaliuatio, multis eadem pernicioſa, in multis eadem fruſtra ſuſcipitur; unde cuiusuis conſtitutio examinanda, et conſideranda ſymptomata, quo de materiae peccantis natura certum acquiramus conceptum.

LIII. Tantum abeſt, ut fermentum luis uenereae, ex ſententia Syluii, acidae, et mercurialia,

(u) hortulo genitali, p. m. 306. (w) de Aromat. cap. 35. (x) Empyr. rationali. (y) Pr. Med. p. 475.

curialia, alcalinae ſint proſapiae, ut potius ex omnibus circumſtantiis contrarium deprehendamus.

LIV. Mercurius dulcis, hac ratione et omnia mercurialia pondere ſuo, hinc et inde per motum cordis et uaſorum ſanguiferorum propulſa, pituitam immeabilem conquaſſant, atterunt et diuidunt, et in lue uenerea inueterata, praeſertim in ſubiecto phlegmatico, conueniunt.

LV. Optimo cum ſucceſſu hic die primo praeſcribitur mercurius dulcis a ſcrupulo dimidio ad totum cum extracto ſcorzonerae; altero adduntur grana decem, et hoc modo per tres quatuorue dies, ſemper augendo doſin, pergimus, donec ſaliuatio ſequitur, quae, conuenienti ordinata diaeta, continuanda, quousque omnis malorum lerna reiecta.

LVI. Ne uero ſaliua, quae attritu et coniunctione cum mercurialibus maxime acris euadit, linguae, gingiuis et maxillae iniuriam inferat, os frequenter gargariſmatibus, quibus aliquid mellis roſarum addi poteſt, colluendum, et crebriore decocti lignorum uſu, in leni madore aegrotus detinendus, acrimonia temperanda, et eroſio praecauenda.

LVII.

LVII. Ptyaliſmo praefero illam luis uenereae curam, quae per leniora purgantia, tincturam metallorum, et decoctum lignorum perficitur.

LVIII. Haec iterum mutanda, ſi aegrotus lue uenerea laborans ſiccioris ſit conſtitutionis, et febris lentae prodromi adſint; hic loco decocti, quod ex lignis paratur, adhibeatur decoctum radicis bardanae, polypodii, ſaſſaparillae; loco tincturae antimonii uel metallorum, ordinetur ſpiritus uitrioli dulcis, et puluis ex magneſia et croco martis aperitiuo paratus.

LIX. Iisdem ſubſidiis, gonorrhoea ſimplex et uirulenta curari poteſt; ea uero, quae in ſpecie in hiſce morbis obſeruanda, caput illud, quod liquoris genitalis principia explicat, ſuppedidabit.

LX. In ſcabiei cura probe diſtinguenda humida a ſicca, maligna a benigna, idiopathica a ſympathica, critica a ſymptomatica.

LXI. Scabies humida lenioribus laxantibus, diaphoreticis et abſorbentibus, decocto fumariae, eſſentia lignorum, puluere rhabarbari, antimonio diaphoretico curanda.

LXII.

LXII. Sicca uero ſcabies lenioribus quoque purgantibus et diaphoreticis exaſperatur, et ſola diluentia, refrigerantia, gelatinoſa et acida, infuſum lactucae, decoctum hordei cum gelatina cornu cerui, lapides cancrorum ſucco citri ſaturatos, cremorem tartari, et clyſſum antimonii ſulphuratum poſtulat.

LXIII. In ſcabie maligna eadem adhibenda methodus atque eadem praeſcribenda remedia, quae Cap. V. §. 132. et ſequ. ad uariolarum curam commendata.

LXIV. Scabiei uero benignae cura ex antecedentibus §. 61. et 62. repetenda.

LXV. Scabiem idiopathicam dicimus, quae a neglecta ſordium externarum abſterſione, qua pannifices, pelliones, ſartores, aliique, qui pelles aut lanam ouium ſcabioſarum, uel pannos ex ea confectos tractant, afficiuntur, dependet.

LXVI. Hic internorum remediorum haud magna utilitas, potius iſtiusmodi ſcabiei cura per topica, quae humorum intra cutem haerentium corruptionem arcent, iam corruptos eliciunt, ac poros acri obſeſſos tabo reſerant, abſtergent, conſolidant, et priorem cuti nitorem et munditiem reddunt, perficienda; hunc in finem partes

ſca-

ſcabie obſeſſae probe eluendae, et unguento ex cremore lactis et puluere radicis helenii parato inungendae.

LXVII. Non omnis uero ſcabies externis curanda remediis, uti autumat HELMONTIVS, quia ſaepius mali illius cauſa in ſanguine haeret, quae deinceps cuti per ſanguinis circulum communicatur.

LXVIII. Et hanc ſcabiem ſympathicam dicimus, quia cutis, non propria, ſed ſanguinis culpa, afficitur; illa uero iterum uel critica, uel ſymptomatica eſt.

LXIX. Critica ſcabies, eſt ſignum bonum malae cauſae, dum per cutis ſuperficiem materia acris eliminatur, et hoc modo corpus a grauiore morbo liberatur, uel praeſeruatur; unde eandem, unguento ex hydrargyro, uel aqua frigida, retropulſam, febris, arthritis aliaque grauiora mala ſequuntur.

LXX. Sin autem ſcabies cum tabe, aſthmate, tuſſi, nimio haemorrhoidum fluxu, ptyaliſmo, ulcere narium ſit coniuncta, et funeſtum praeſagiat exitum, quales obſeruationes apud SOLENANDRVM, (z) SYLVATICVM; (a) MERCVRIALEM (b) et CLAV-

(z) ſect. 3. conſil. 1. fol. 215. (a) Cent. 1. conſil. 1 p. m. 44. et Cent. 4. conſil. 76. p. 571. (b) Tom. 1. conſil. 87. fol. 184.

Clavdinvm (c) inuenimus, illa ſympto-
matica dicenda.

LXXI. Ad ſcabiem quoque referendu[s] pruritus ſenilis, qui nihil aliud eſt, quam ſcabies ſicca, ex ſeri gelatinoſi defectu pi[-] tuitaeque et dyſcraſiae alcalinae exceſſu pro- ueniens.

LXXII. Hic pauca, uel nulla medicamenta adhibenda eſſe, iudico; huius uero incommodi leuamen in ſimplicis aquoſi et gelatinoſi potus uſu, ſimilisque alimentis naturae, endiuia, portulaca, conditis, euitatis ſimul quibusuis acribus et uolatilibus, quaerendum erit.

LXXIII. Scarificatio, tum in pruritu ſenili, tum in reliquis ſcabiei ſpeciebus, niſi mali cauſa in externis partibus haereat, nullam niſi palliatiuam praeſtat opem.

LXXIV. Acidem quoque de eadem et de uenae ſectione, in arthritide, maxime atroci ſcorbuti effectu, curanda, tenendum; his enim ſubſidiis ſucci abundantes quidem diminuuntur, non uero ſimul impuritates materialem morbi cauſam conſtituentes euacuantur.

LXXV. Materia peccans in arthritide, ſecun-

(c) Conſil. 47. f. 108.

ſecundum KERCKRINGIVM eſt ſalino-neutra; ſecundum SYLVIVM, acida; ſecundum COLBATCH, alcalina; ſecundum alios, bilioſa ſeu ſalino-ſulphurea.

LXXVI. Illi uero, particulare cum uniuerſali confundunt, nam in illo arthritico haec, in hoc illa excedit dyſcraſia; in alio arthritis ab acida, in alio ab alcalina acrimonia generatur.

LXXVII. Hoc non ſaltem diuerſa origo uariaeque cauſae occaſionales, ſed uaria quoque dolorum genera, quibus arthritici excruciantur, et diſcrepans uariorum remediorum effectus confirmat.

LXXIIX. Hanc quoque certiſſimam cauſam eſſe, reor, quod arthritidis cura ſaepius fruſtra ſuſcipiatur; cum plurimi, neglecta rationali medendi methodo, ſua ſpecifica et ſtulta arcana cuiuis exhibeant.

LXXIX. His addendum peruerſum uitae genus, quo arthritici delectantur, ac quo nouum materiae peccanti pabulum praebent; hoc eorum exemplo, qui ex nimia uenere, uel uini meracioris ingurgitatione podagram ſibi accerſiuerunt, demonſtrari poteſt, illi atrociſſimos artuum dolores potius ſuſtinent, quam, ut euitarent deteſtandum dictarum rerum abuſum.

LXXX. Multi uero reperiuntur, qui exactam diaetam optimamque uiuendi rationem in uſu rerum ſex nonnaturalium obſeruant, et nihilo ſecius uehementibus doloribus podagricis torquentur; quale quid illis accidere obſeruamus, qui ob malam ſolidorum et fluidorum diſpoſitionem, Parentibus in acceptum referendam, hoc malo laborant.

LXXXI. Cauſae occaſionales arthritidis, quae alias allegantur, ſunt ueneris, uini et irae abuſus, ſed illae minus ſufficiunt, cum omnibus illis, otium ſeu uita ſedentaria, quae primas in hocce malo excitando tenet, ſit praeferenda; cui addenda aeris repentina mutatio, ſufflaminatae excretiones criticae, quibus arthritis, ex obſeruatione Slevogtii, (d) ſuccedere ſolet.

LXXXII. Decet igitur, curam, mali origini accommodare, et ſi cauſa in ſuppreſſo fluxu haemorrhoidali, ſanguinis abundantia et turgeſcentia latet, uenae ſectio uel ſcarificatio ex Galeni (e) conſilio ſuſcipienda, qui, plurimos ab iſchiagra hac methodo liberatos fuiſſe, ſcribit.

LXXXIII.

(d) Diſſert. de Arthritide eiusque remedio, ſacharo lactis §. 16. p. 24. (e) lib. de uenae ſectione.

LXXXIII. Qui potulentorum abuſu ſibi contraxit arthritidem, abſtineat ab iisdem, ſerum accumulatum lenioribus euacuantibus remoueat, et relaxatos apices arterioſos intra iuncturas collocatos, quos glandulas mucilaginoſas HAVERS dixit, martialibus atque acidulis corroboret.

LXXXIV. Diligens corporis exercitium et frequens conuenienti tempore ſuſceptus labor, multum praeſtat in iis, qui otio et torpore in idem malum inciderunt.

LXXXV. Aliis praeterea lactis uſus proficuus eſt, ubi ſeroſa et gelatinoſa pars deficit, ſulphurea uero abundat. Aliis econtra decoctum lignorum conducit, in quibus maſſa uiſcoſa excedit; his proſunt emetica, illis laxantia.

LXXXVI. Lenioribus laxantibus hic praecipua uirtus arthritidem praecauendi aut mitigandi tribuitur, ſed nec eadem in omnibus unum eundemque habent effectum, his proſunt, illis nocent, uti BAGLIVII (f) et RIDLEINI (g) ſibi penitus contrariae obſeruationes docent.

LXXXVII. Topica remedia, exceptis il-

(f) Pr. Med. lib. I. p. 117. (g) Millen. Cur. Cent. I. hiſt. 36. p. 21.

lis, quae aperiunt, hic penitus repudianda, quae quippe nihil iuuant, multum uero nocent.

LXXXIIX. Si uero doloris leuamen quaeris, utaris potius eſſentia opii uino canarienſi aut ſpiritu ſalis dulci parata, et eandem, aegroto in lecto decumbenti ad guttas triginta cum infuſo Theae Boy calido, ad proliciendum ſudorem exhibe, hoc enim modo acrimonia ſuccorum temperata eliminabitur, et ceſſantibus fibrarum neruoſarum uiolentis preſſionibus et diuulſionibus, omnis dolor euaneſcet.

Capvt VII.

DE OBSTRVCTIONE, INFLAMMATIONE, TVMORE, SCIRRHO, VLCERE, CANCRO, GANGRAENA ET SPHACELO.

I.

Ad liberam ſanguinis circulationem conſeruandam debita proportio inter diametros uaſorum extremorum et particulas per eosdem tranſituras debet adeſſe.

II. Sublata hac proportione, et uaſis nimis contractis, aut contuſis, uel compreſſis, ſucco-

ſuccorum tranſitui obex ponitur, et ſanguis in ea parte retentus ſtagnat, condenſatur et obſtructionem generat.

III. Nullum quandoque in uaſis adeſt uitium, ſed fibrae gelatinoſae ramoſiores factae, aut inter ſe complicatae, uaſis, per quod tranſire debent, diametro, ſunt maiores; unde eaedem neceſſario ad tomentoſam uaſis extremitatem appellentes ſubſiſtere coguntur.

IV. Facto autem ſtagnationis et cohaeſionis principio, per adductas, continuo ſanguinis motu, nouas particulas, maſſa ſtagnans incrementum capit, et non ſaltem obſtructionem, ſed pro uaria quoque materiae ſtagnantis indole, inflammationem, exulcerationem, ſcirrhum, gangraenam, ſphacelum et cancrum excitat.

V. Obſtructio eſt uaſis obturatio, qua tranſitus, pro ſuccorum uitalium circulatione neceſſarius, tollitur, a particulae tranſiturae magnitudine, diametrum uaſis ſuperante, orta.

VI. Prima obſtructionis cauſa quaerenda in uaſis, quae triplici modo tranſitum anguſtiorem reddunt, 1) externa compreſſione, 2) contractione propria, 3) aucta interna membranarum craſſitie.

VII. Compreſſio, 1) a uarii generis tumoribus uaſis incumbentibus, 2) a partibus fractis, luxatis et diſtortis, 3) arctis ligaturis, faſciis, ponderibus, attritu, inducitur.

VIII. Contractio uaſis propria augetur 1) iis, quae fibrarum rigiditatem promouent, 2) iis, quae fibras, ex quibus canalium membranae conſtant, nimis replent, 3) iis, quae uim, contractioni reſiſtendi et canales expandendi, auferunt.

IX. Craſſities interna triplici modo incrementum capit, 1) fibris, ex quibus membranae conſtant, per uberiorem ſucci nutricii affluxum, craſſioribus redditis, et quaſi tumidis; 2) ſubſtantia interna callis obducta, aut cartilaginea uel oſſea reddita 3) quando lateribus uaſorum praeter naturam aliquid accreſcit, ſiue lapidea, ſiue alia ſit materia.

X. Altera obſtructionis cauſa in liquidis immeabilibus redditis conſiſtit; hoc autem fit duplici modo, 1) mutatione figurae ſphaericae in ramoſam, 2) plurium particularum combinatione.

XI. Naturalis particularum ſanguinem conſtituentium figura, uaria mutatur ratione, praecipua uero cauſa in laxitate fibrarum

rum uaſa conſtituentium atque inaequali preſſione conſiſtit.

XII. Quies uero, ſeri diluentis defectus, nimia reſolutio, uolatilium abuſus, immediata acidorum applicatio, auſtera et narcotica pluraque alia ſuccis coagulandis et condenſandis anſam praebent.

XIII. Stagnatio quoque ſuccorum atque obſtructio a nimia uaſorum dilatatione et deficiente in ſolidis ui oſcillatoria excitatur, qualem ſtatum in plethoricis haud raro aduertimus.

XIV. Cauſae igitur obſtructionis, tam in ſolidis, quam in fluidis uariae et multiplices; uariant quoque pro his effectus obſtructionem ſequentes; alia enim diu durat absque ullo tumore et notabili incremento; aliam cito tumor isque aquoſus ſequitur; alii inflammatio ſuccedit.

XV. Hoc modo ab obſtructione tumor, ſcirrhus, exulceratio, cancer, gangraena, ſphacelus ortum ducunt; datur enim transitus ab uno ad alterum malum.

XVI. Fit itaque ex obſtructione inflammatio, dum a ſanguine e parte obſtructa regurgitante cordis intenditur atque acceleratur ſyſtole, et hoc modo mirum in modum ſanguinis attritus augetur.

XVII. Inflammatio, quae ignis et φλεγμονὴ Graecis dicitur, eſt ſanguinis in extremitatibus arterioſis ſtagnantis, a motu reli qui et a tergo ſequentis et prementis exagitati attritus.

XVIII. Cognoſcitur inflammatio 1) ex tumore, 2) rubedine ſplendente, 3) dolore punctorio, 4) duritie, 5) aeſtu, 6) pulſatione, 7) febri.

XIX. Haec ſymptomata, quae in principio mitiora, increſcente morbo, ſimul augentur, et ſeparato expreſſoque ſero tenui, reſidua maſſa magis condenſata atque inſpiſſata difficillime dilui et reſolui poteſt.

XX. Inflammationis ſedem ſeu partem primario affectam conſtituunt extremae et ſubtiliores arteriarum partes, ita preſſione, contuſione, criſpatione, diſtorſione, ruptione, eroſione, combuſtione, coarctatae, aut ab acribus, uiſcidis, uel ſanguine coagulato obturatae, ut deſit proportio deſiderata inter diametrum uaſis et ſphaerae ſanguinis; diameter quippe ſphaerae transiturae maior diametro uaſis, per quod tranſire debet.

XXI. Ea omnia, quae allegata ratione inflammationem efficiunt, ad tres claſſes reduci poſſunt, 1) ea continet, quae uaſa arctant,

arctant, 2) quae canales obturant, 3) quae fluida coagulant.

XXII. Ad primam claſſem pertinent contuſiones, fracturae, eroſiones, luxationes, frictio nimia, penetrans frigus, infixa fibris acria, ligaturae, compreſſiones, nimius motus et calor, pondera imcumbentia, aliaque, quae meatus quocunque modo anguſtiores reddunt.

XXIII. Obturando atque obſtruendo canales, operantur uiſcoſa atque oleoſa, ſiue externe ſiue interne applicentur, eaque ſecundam claſſem cauſarum inflammationem inducentium conſtituunt.

XXIV. Succorum uero condenſatio, in qua tertia cauſa inflammationis conſiſtit, uaria producitur ratione; 1) nimius motus atque acrium et uolatilium abuſus, ſerum tenue diſſipando, eandem efficit; 2) idem praeſtat languor et inertia fibrarum ac deficiens corporis exercitium, admittendo particularum minorum inter ſe combinationem; 3) quaeuis acida atque auſtera, ſuccos coagulando.

XXV. Varia eſt materiae in circulo ſuo turbatae et ſtagnantis indoles, unde quoque alia inflammatio leuior, alia grauior; alia acuta, alia chronica; alia cum tumore, alia ſine eodem.

XXVI. Ab illo, quod iam indicaui, d
ſcrimine, dependet diſtinctio in perfecta
atque imperfectam inflammationem; pe
fecta inflammatio dicitur, ubi ea ſunt, qua
ſupra §. 18. adduxi, aut quae ſecundum op
nionem Barbette, (h) ex ſolo ſanguin
originem ducit.

XXVII. Imperfecta illa dicitur, ubi ea ſ
gna, quae §. 18. adducta, omnia non adſun
et horum loco alia quaedam obſeruantur
unde alia phlegmone dicitur eryſipelatodes
alia oedematodes, alia ſcirrhodes.

XXVIII. Eryſipelas eſt inflammationis
ſpecies, leui intumeſcentia, cum calore, co
lore coccineo, dolore lancinante et pun
gente, ſtipata, quibus, ſpontaneus horror
cum ſubſequente aeſtu, antecedit.

XXIX. Ab eryſipelate omnique inflam-
matione differt oedema et ſcirrhus, hic tu-
mor quidem adeſt, et praecipue in hoc du-
rus, in illo mollis, ſed nulla rubedo, nullus
dolor, nullus aeſtus, nulla pulſatio.

XXX. Oedema in genere idem, quod
ὄγκος παρὰ φύσιν, ſiue quemuis tumorem,
in ſpecie uero tumorem frigidum, laxum,
mollem, albo reſplendentem colore, dolo-
ris

(h) Oper. Chirurgic. cap. 2. pag. 172.

ris expertem, preſſioni cedentem, a ſeri plus minus uiſcidi ſtagnatione generatum denotat.

XXXI. Oedema, eſt uel uniuerſale, totum occupans corpus, uti in leucophlegmatia atque anaſarca obſeruamus, uel particulare, certum duntaxat membrum, pedes ſcilicet, afficiens.

XXXII. Scirrhus autem, eſt tumor durus, renitens atque indolens, ex maſſae tenacis ſtagnatione et combinatione obortus.

XXXIII. Ad ſcirrhum ſteatomata ſpuria, ganglion, ſcrophula ſiue ſtruma referenda, atheromata uero et melicerides ad oedemata.

XXXIV. Meliceris dicitur tumor rotundus, dolore uacans, digitis facile cedens, materiam melli ſimilem in propria tunica incluſam habens.

XXXV. Atheroma, tumorem mollem, doloris expertem, materia pulti ſimili repletum, et proprio inſtructum folliculo denotat.

XXXVI. Steatoma, eſt tumor durus, renitens, materiam ſebo ſimilem in propria cyſtide continens.

XXXVII. Ganglion eſt nodus calloſus a
que indolens a fibrarum tendinoſarum co
torſione, preſſione auctaque mole, circ
articulos obueniens.

XXXVIII. Strumae ſeu ſcrophulae, ſur
tumores duri glandularum colli ex maſſa
uiſcidae coaceruatione et ſtagnatione pro
ductae.

XXXIX. Scrophulas a ſtrumis diſtingui
Platervs, (i) per ſtrumas maiora et pau
ciora, per ſcrophulas uero minora et copi
oſiora colli tubercula intelligens.

XL. Omnia illa incommoda et diuerſ
tumorum genera ex ſuccorum ſtagnation
ortum ducunt, atque alter in alterum de
generat morbum; primum enim uaſa ex
trema obſtruuntur, obſtructioni ſuccedit in
flammatio, inflammationi ſcirrhus, uel ſup
puratio, gangraena, pluraque alia incom
moda.

XLI. Si enim materia ſtagnans uiſcidior
obſtructio pertinacior, attritus fortior, diſ
ſipato omni ſero tenui, ſcirrhus et ſimiles
tumores duri generantur.

XLII.

(i) uid. Dolaeus Encyclopaedia Chirurg. lib. 2. cap.
2. §. I. p. m. 250.

XLII. Diſruptis uero uaſculis diſtentis, nateria extrauaſata minus acris ſtagnatione putreſcit, et inflammatio in ſuppurationem bit.

XLIII. Sin autem materia maxime acris, ttritus uehementior, uaſa rigidiora, et liquor ex uaſis ſubito ruptis effuſus ſub epidermide in bullas colligitur, inſtar loturae carnis, uel ſaniei flauae, ac color rubicundus in cinericeum, plumbeum atque atrum degenerat, et tumor, dolor, calor ac pulſatio in affecta parte ceſſat, in uicinis durat, adeſt gangraena.

XLIV. Conuenit maximam partem cum gangraena ſphacelus; gangraena enim ſummam partis alicuius inflammationem in mortem abeuntem denotat.

XLV. Sphacelus autem, eſt partis et ſuccorum in ea contentorum corruptio ac mortificatio plenaria, ſuperſtite uita in reliquis.

XLVI. Gangraena plerumque panniculum adipoſum, ſphacelus omnia, ipſa quoque oſſa afficit et corrumpit, ac ordinario gangraenam ſequitur.

XLVII. Gangraena et ſphacelus ſunt effectus male curatae inflammationis per adſtrin-

ſtringentia, oleoſa, frigida, et terrea obſtruentia.

XLVIII. Praeſentiam gangraenae ex iis quae ſupra §. 43. adducta, cognoſcimus: ſphacelum uero indicant, 1) praegreſſa gangraena, 2) priuatio ſenſus, motus, coloris et caloris, 3) color plumbeus et niger, 4) flacciditas cum cute ſeparabili, 5) foetor cadauerosus, 6) corruptio ulterius proſerpens.

XLIX. Optimum eſt, gangraenam praeſeruare, rite curando inflammationem; praeſens uero praeſentiſſima poſtulat auxilia; ſphacelo autem, niſi pars corrupta auferatur, mors certiſſime ſuccedit.

L. Cancrum, gangraenae ſpeciem, imo gangraenam glandularum eſſe, Dolaevs (k) affirmat; aſt cum gangraena morbus ualde acutus et breuis, cancer uero per plures annos durans, chronicus ſit, et duris tumoribus inflammationem accerſentibus ſuccedat, alia definitio aliaque explicatio neceſſaria.

LI. Cancer, eſt tumor durus, liuidus aut ſubniger, uenas circumcirca turgidas et repletas habens, cum uel ſine exulceratione, ex marginibus ſcirrhi inflammatis ortus.

LII. Scir-

k) Encyclopaed. Chirurg. lib. V. cap. 8. p. 546.

LII. Scirrhi igitur effectus, carcinoma, uod motu uaſorum uicinorum fortiore, ucto tumore, et accerſita inflammatione, eneratur.

LIII. Carcinoma in occultum et mani-ſtum ſeu purulentum diſtinguitur; occul-um uocatur tumor ſine ſuppuratione, iis, uae ſupra §. 51. delineata, ſymptomatibus ipatus.

LIV. Cancer manifeſtus eſt, ſi diſruptis ntegumentis, ulcus partes depaſcens cum gnis §. 51. allegatis, apparet.

LV. Cancer occultus ex ſcirrhi augmen-o, uaſis ſanguiferis circa illum tumentibus, odoſis, nigris, pruritu, calore, rubore, do-ore, iisque, pro ui attritus et genio materiae ommotae, uariis, cognoſcere poſſumus.

LVI. In manifeſto autem cancro, ſignis antecedente adductis accedunt eroſio ſa-iem acrem et tenuem uicina depaſcentem ndens, labia tumida et retorrida, dolor ehemens, febris lenta tabifica.

LVII. Fundamentum curae, quam alle-ati affectus poſtulant, in medela obſtru-tionis conſiſtit, quia omnes ab obſtructio-e ortum ducunt.

LVIII. Mutanda uero obſtructionis cura, ro uaria partis obſtructae, et materiae ob-ſtru-

ſtruentis natura, ac pro uaria cauſae occa-ſionalis conſtitutione.

LIX. Si igitur per contuſionem arcta ſunt meatus, et liber per eosdem ſuccorum circulus impeditur, fluidum extrauaſatur uel euacuandum, aut frictione et reſolutione diſcutiendum.

LX. Eadem methodo quaeuis cauſa uaſa comprimentes tollendae; ita quoque in obſtructione a nimia fibrarum contra-ctione proueniente procedendum; nam ſi il-lius origo a nimia rigiditate et ui elaſtica fi-brarum dependeat, remediis aquoſis et blan-dis oleoſis aſſumtis et tepide applicatis illi ſuccurrendum.

LXI. Sin autem plethora rigiditatis ſit autor, euacuantia, cumprimis parti primario affectae applicata, quale, eſt ſcarificatio, conducunt.

LXII. In obſtructione, cuius cauſa in ſuc-corum tenacitate haeret, 1) ſyſtole uaſorum augenda, 2) ſucci craſſi diluendi, ſoluendi atque attenuandi, et 3) cauſa coagulans tol-lenda.

LXIII. Syſtole uaſorum augetur, 1) emen-dando et remouendo maſſam uiſcoſam fi-bras motrices relaxantem, 2) irritando et adſtringendo uaſa inertia ac minus oſcil-lantia.

LXIV.

LXIV. Ea, quae maſſam uiſcoſam attenuant, qualia, ſalia acria, ſal gemmae, ſal ammoniacum, ſapo Venetus, ſal Epſonienſe, Egrenſe, primae indicationi §. 62. ſatisfaciunt.

LXV. Praecipue aquoſorum, calide parti affectae applicatorum magna eſt uis, ſi antecedentium adiungatur uſus, quorum ſtimulo uiſcidum aqua dilutum et ſolutum diſcerpitur, reſoluitur et in motum redigitur.

LXVI. Cauſa coagulans uaria eſt, eaque iam a uolatilibus alcalinis, iam ab acidis arceſſenda; nunc auſtera et fortiora adſtringentia, iam terrea abſorbentia ſunt in culpa; his autem omnibus accommodata antidota, quorum ſaepius facta mentio, opponenda.

LXVII. Saepiſſime uero fruſtra attentamus, partes obſtructas reſerare et materiam ſtagnantem reſoluere et diſcutere, ſed eadem in ſcirrhum, uel inflammationem, uel ſuppurationem abit.

LXVIII. Scirrhus, ſi externa obſideat membra, et partis affectae conditio idem permittat, haud melius et certius, quam ſectione, aut applicatis corroſiuis, eroſione, remoueri poteſt; ſin uero interna occupet organa et uiſcera, difficillima, ne dicam, im-

poſſibilis eſt cura radicalis, et quicquid ad huc fieri poteſt, diluentibus et lenioribus ſtimulantibus perficiendum.

LXIX. Fugienda penitus in ſcirrho ſtimulantia fortiora, quae exprimendo liquida ſubtiliora, et augendo attritum in uaſis parti ſcirrhoſae uicinis, cancri generationi anſam praebent.

LXX. Ab iisdem quoque in cura inflammationis abſtinere decet, in qua potius de eo laborandum, ut abundans, quod uaſa nimis diſtendendo ſtagnationem et obſtructionem inducit, remoueatur, acre fibras contrahens temperetur, uiſcidum diluatur et reſoluatur, et canales nimis contracti relaxentur.

LXXI. Ante omnia quippe in parte inflammata ſedandus impetus, hoc autem meliore ratione, quam tempeſtiua ſuccorum, peruenae ſectionem euacuatione, et emollientium cum anodynis ſociatorum applicatione, haud perfici poteſt.

LXXII. Horum remediorum, cumprimis uenaeſectionis utilitatem, quotidie in angina, pleuritide, peripneumonia, hepatitide, nephritide, quae uariarum partium inflammationes denotant, experimur.

LXXIII. Temperato affluxu, materia ſtagnans

gnans diluenda, particulae acres praecipitandae, et pituita tubulos extremos ſubtiliores obturans reſoluenda; paucis, ſublatis cauſis obſtructionis, libera ſuccorum circulatio reſtituenda.

LXXIV. Tempeſtiue atque in principio hoc perficiendum; ſi enim humor ſtagnans ſanguinis a tergo ſequentis preſſione atque attritu acrimoniam contrahit, et uaſcula ſubtiliora erodens ſuppurationem inducit, fruſtra, imo cum detrimento, reſoluentia praeſcribuntur.

LXXV. Suppuratio, cauſa abſceſſus ſeu empyematis, uel apoſtematis. Diſtinctionem nonnulli inter empyema, apoſtema et abſceſſum conſtituunt, ſed eadem minus eſſentialis; abſceſſus idem Latinis, quod Graecis *ἀπόςημα* ſignificabat, ac empyema unum eundemque cum utroque habet ſenſum, niſi, quod a quibusdam empyema in ſpecie de ulcere pulmonum uſurpetur.

LXXVI. Empyema, 1) tumoris ſeu materiae ſtagnantis in pus transmutationem, 2) puris in pulmonibus collectionem, quae haud raro cum uomica confunditur, 3) ulceris, extra pulmonum ſubſtantiam, in cauitate thoracis praeſentiam denotat.

LXXVII. In empyematis medela, 1) ma-

turatio ſeu ſtagnantis materiae in pus album, leue atque aequale transmutatio, 2) uicinorum laxatio, 3) puris ad exteriora propulſio atque excretio, 4) mundificatio et conſolidatio, neceſſaria ſunt.

LXXVIII. Alia procedendum ratione, in maturandis abſceſſibus externis, alia, in internis; externe plurimum ſic dictis topicis, cataplaſmatibus, emplaſtris, fotibus et linimentis perficere poſſumus; horum uero nullus, uel exiguus certe in abſceſſibus uiſcera obſidentibus uſus.

LXXIX. Ad promouendam ſuppurationem, 1) auctus in parte laborante motus, 2) relaxatio et acrimoniae lenimen, 3) libera et tranquilla ſanguinis circulatio, 4) abſceſſus eo usque occluſio, donec omnis materia ſtagnans ſit ſuppurata, requiruntur.

LXXX. His iam peractis, ſi ſponte non rumpatur abſceſſus, perfectae uero maturationis ſigna adſint, idem aperiatur; maturationis autem ſigna ſunt, 1) mollities et albedo abſceſſus, 2) doloris, caloris, pulſus et febris remiſſio, 3) puris intus occluſi fluctuatio, 4) mucro abſceſſus a pure diſtentus.

LXXXI. Minime, his praeſentibus, ruptio expectanda, ſed quantocyus abſceſſus aperiendus et rumpendus; cutis enim ualde denſa et dura ſaepe impedimento eſt, unde

unde pus maiorem ſtagnatione acrimoniam contrahens, nec exitum inueniens ſubiacentes et uicinas partes erodit, ac in uariis locis uarios ſinus et fiſtulas creat.

LXXXII. Ad haec incommoda praecauenda, cataplaſmata emollientia et aliquantulum ſtimulantia applicentur, ex lacte cum floribus chamomillae Romanae et ſambuci cocto; his non ſufficientibus, ſcalpello chirurgico, quod *lancettam* dicunt, mucro abſceſſus pertundatur, et ſectione latiore facta, puris excretio leni promoueatur preſſione.

LXXXIII. Fugiant eo tempore aegroti quaeuis acria, uiſcida et alcalia potulenta, alimenta et medicamenta, aerem frigidum et humidum; aluus lenioribus laxantibus ſemper libera et aperta ſeruetur; eſſentia mirrhae decocto ſcabioſae diluta ulcus mundificetur, et hac ratione, ulteriorem abarcendo ſtagnationem et corruptionem, conſolidetur.

LXXXIV. Breui, hoc modo, ſuppuratio externas afficiens partes, curari poteſt, maior ſedulitas et circumſpectio ac longior temporis mora ad medelam empyematis interni, uel in thorace, aut alia cauitate uel uiſcere haerentis, neceſſaria.

LXXXV. Facilius tamen curatur ulcus oris, colli, uentriculi et inteſtinorum, quam hepatis et pulmonum, quia illis immediate medicamenta applicari poſſunt partim, partim patens liberaque uia adeſt, per quam materia purulenta diluta atque abſterſa euacuari poteſt.

LXXXVI. Neceſſitas hinc efflagitat, ut quae cautelae in cura empyematis pulmonum, hepatis, lienis, cerebri, obſeruandae, quae methodus, quae remedia hic in ſpecie ſint congrua, in explicatione pulmonis ceterorumque uiſcerum, tradamus.

LXXXVII. Cum tam periculoſa et tam difficilis curatu ſit cerebri, hepatis aliorumque uiſcerum inflammatio, ſatis exinde liquet, harum partium gangraenam omnino lethalem eſſe.

LXXXVIII. In gangraena partium externarum, ſpes quidem reſtitutionis adhuc adeſt, ſed exigua, illique citiſſime, uel reſoluendo, uel ſuppurando, ſuccurrendum; reſolutio autem 1) diluendo materiam ſtagnantem, aquoſis affatim hauſtis et applicatis, 2) ſtimulando arterias, per ſalia materiae praedominanti contraria, 3) euacuando per uenae ſectionem uel ſcarificationem ſuccos abundantes, 4) liquando et fricando per calida actu talia, perfici poteſt.

LXXXIX. Quando autem particulae ſubtiliores diſſipatae, et putredo iam infecit et deſtruxit uaſa, haec methodus minus proficua erit, et potius promouenda atque accceleranda ſuppuratio, quo per eandem cutis et membrana adipoſa gangraena affecta, a ſubiectis partibus adhuc uiuis ſeparetur et ſphacelus praecaueatur.

XC. Quo igitur gangraena mutetur in abſceſſum, pars affecta usque ad uiuae ſanaeque ſubſtantiae principia ſcarificanda, deinceps frequenter hirudines et cucurbitae eidem applicandae; aut eadem incidenda, inciſa ſuccis balſamicis reſoluentibus corruptionem ulteriorem impedientibus atque eſcharam emollientibus fouenda ac cataplaſmatibus obtegenda.

XCI. Illud uero, quod iam reſolutum et ſphacelo affectum, ſenſu et motu deſtituitur, remouendum, ne reliquae partes in conſenſum trahantur.

XCII. Idem quoque optimum carcinomatis eſt remedium, quia reliqua fere omnia curam palliatiuam ſaltem efficiunt; plura uero hic obſeruanda, antequam ſuſcipias operationem; tuto autem eadem peragi poteſt, ſi carcinoma adhuc exiguum, liberum, loco apto ſitum, uaſis magnis non adhaerens, atque a cauſa externa in-

 ductum,

ductum ſit, et aegrotus iuuenis adhuc bo-
na corporis conſtitutione quoad ceter-
ſit praeditus.

XCIII. Sin autem ſigna antecedentibu-
contraria adſint, in ſpecie, ſi cancer in ſe-
ne per longius temporis ſpatium iam du-
rauit, et a corrupta ſanguinis indole or-
tum duxit; extirpatio carcinomatis per fer-
rum locum non habet.

XCIV. Cum igitur cura radicalis inſtitu-
nequeat, palliatiua acquieſcere debemus
quae in eo conſiſtit, ut 1) uictu tenui e
gelatinoſo utentes laudabilem ſuppedite-
mus chylum et ſanguinem; 2) purganti-
leniora ex uegetabilibus ſaepe adhibeamus
3) emollientia et leniora aperientia, qual-
eſt, infuſum hepaticae, ueronicae, prae-
ſcribamus; 4) partem affectam cataplaſma-
tibus ex ſaturninis et anodynis confecti-
defendamus.

XCV. In cancro exulcerato atque aper-
to eadem quidem conducunt, ſed hic in
ſpecie mundificatio frequens, optimum eſt
ſubſidium, euitatis emollientibus, emplaſtris
et cataplaſmatibus ſuppurationem promo-
uentibus, ueſicatoriis et quibusuis acribus et
cauſticis, quae augendo exulcerationem et
ichoris malignitatem, omnia ſymptomata ex-
aſperant.

Capvt

Capvt. VIII.

DE LIMPHA ET ILLIVS SECRETIONE.

I.

Ex manifeſtis et maioribus partibus ſanguinem conſtituentibus maxima eſt limpha, et reliquarum uehiculum conſtituit.

II. Si ullus in humano corpore liquor uniuerſalis dicendus, idem merito de limpha praedicare licet; haec praecipuam et maximam ſanguinis chylique partem efficit; haec totum corpus rigat et nutrit; haec illud, quod corpori incommodum, euehit.

III. Diſtinguunt multi Phyſici inter ſerum et limpham, et per ſerum, 1) partem aquoſam cum reliquis particulis in uaſis ſanguiferis circulantem, 2) limpham cum gelatina ſociatam, et 3) humorem excrementitium, urinae, ſudoris et ſimilium impuritatum uehiculum conſtituentem, intelligunt.

IV. Limpha uero illis dicitur, 1) pars aquoſa, quae a ſanguine ſeparata in uaſis limphaticis uehitur, 2) ſuccus nutricius roris inſtar per laterales uaſorum poros ſece-

dens, et 3) ſuccus nerueus, genitalis, gaſtricus et pancreaticus.

V. Conſtituenda utique diſtinctio inter limpham et gelatinam, gelatina enim non ſuccum mere aquoſum, ſed oleoſum denotat, qui extra corpus profuſus illico concreſcit, atque in ſubſtantiam fibroſam et gelatinoſam abit.

VI. Limpha autem, prouti eadem in uaſis limphaticis ſe habet, eſt aqua admodum tenuis et defecata, nec concreſcens, (1) uarii generis particulas ſalinas ſecum uehens.

VII. Limpha ſale acido, ex ſententia Sylvii et Grafii, non ſemper eſt imbuta, nec eodem ſemper deſtituitur, ſed uarias in ſinu ſuo fouet particulas, pro uaria ſanguinis, a quo ſeparatur, conſtitutione.

VIII. A uaria limphae natura dependet uaria ſolidorum diſpoſitio et functio, quia eadem irrigantur et nutriuntur.

IX. Nomina diuerſa limphae, pro diuerſis organis, in quibus ſecernitur et uehitur, et pro uaria, quam obit, functione, impoſita ſunt.

X. Limpha

(1) uid. Syluius Diſp. 8. §. 40. Muraldus Clau. med. 40. Traite de la Circulation des Eſprits animaux, à Paris 1682. Partic. IV. ſ. 1. chap. 1. p. 109. et ſeq.

X. Limpha igitur, quae in cerebro ſe-
eta neruos rigat et replet, ſuccus nerue-
s, quae in ore, ſaliua, quae in ſtomacho,
ienſtruum uentriculi appellatur.

XI. Omnes uero illi liquores immediate
ſanguine ſecernuntur, atque illud in ſpe-
e in ſequentibus enodabitur; illius ſaltem
mphae ſecretionem iam explicabimus,
uae in peculiaribus uaſis limphaticis dictis
ehitur, uariaque commoda toti machinae
raeſtat.

XII. Secretio illius limphae, eſt partis
quoſae per tomentoſas arteriarum extre-
iitates transcolatio, et in peculiares du-
tus cum arteriis continuos, qui limphati-
a uaſa dicuntur, deriuatio.

XIII. Vaſa limphatica ſunt ductus cylin-
rici, teneri, pellucidi, ex arteriis emer-
entes, ac humorem tenuem et aquoſum
ehentes.

XIV. De Inuentoribus horum uaſorum
agna lis eſt, alii inuentionis gloriam BAR-
HOLINO partim, partim RVDBECKIO, alii
erum IOLIVIO tribuunt.

XV. Vaſa limphatica, per totum pro-
reſſum, ualuulis, quae optime RVYSCHI-
s deſcripſit, gaudent, atque in adducen-
a et abducentia diuiduntur.

XVI.

XVI. Vaſa limphatica adducentia illa u
cantur, quae ſerum tenue, quod ex arte
acceperunt, ad glandulas conglobatas c
ducunt; abducentia uero illa ſunt, qu
limpham iam ſatis attritam et reſolutam
glandula denuo educunt.

XVII. Plures huiusmodi glandulae, qu
modo allegaui, uaſis limphaticis inter
ctae ſunt; illae uero nobis ſiſtunt exiles m
chinas muſculoſas, tunica admodum rob
ſta inſtructas, ſeri aduecti diuiſioni et reſol
tioni inſeruientes.

XVIII. Commeat uero limpha ex una
alteram glandulam, quo debita tenuitas
ad liberum fluxum aptitudo concilietur
conſeruetur; mutua quippe adductaru
glandularum ſyſtole et diaſtole magis m
gisque particulae inter ſe cohaerentes diſce
puntur atque attenuantur.

XIX. Atque hunc in finem limpham
ſanguine praecipue ſeparari, a ratione hau
alienum, aliae tamen limphae ſecretae fu
ctiones adhuc reſtant, quarum praecipu
eſt, chylum diluere, atque illo, quo ma
ximam partem ſanguis conſtat, liquore im
buere.

XX. Ad hoc perficiendum, uaſa limpha
tica, quae ab arteriarum finibus ortum du
xerunt

erunt, partim in uenas maiores, nimirum
enam portae et cauam, partim ad glandu-
s meſeraicas, ciſternam chyli et ductum
ioracicum abeunt.

XXI. Limpha igitur bene conſtituta, ea-
ue nec abundante, nec deficiente, chylus,
eteris paribus, probe dilutus et tenuis bo-
um et laudabilem ſuppeditat ſanguinem,
e quo tota machina participat.

XXII. Minime uero limpha, ſecundum
YLVII opinionem, in dextro cordis uen-
riculo efferueſcit; deeſt enim in illa parte
ilis formaliter talis, ac deinceps, limpha
al acidum ordinario non poſſidet.

XXIII. Nec BILSII opinio rationi con-
grua, qui a limpha ſanguinem uenoſum de-
nuo fermentari, aſſerebat.

XXIV. Diluitur potius a limpha ſanguis,
et ſi eadem dificiat, nimis craſſus, ſin abun-
det, nimis aquoſus euadit.

XXV. Nec ſanguis ſolum, ſed reliqui
ucci, et ſolidorum compages hinc quoque
abem patiuntur; limphae igitur uitia accu-
ratius examinanda.

XXVI. Limpha uero quatuor modis cor-
pori iniuriam infert, 1) abundantia, 2) de-
fectu, 3) mala qualitate, et 4) ſtagnatione
atque extrauaſatione.

XXVII.

XXVII. A ſeri abundantia, ſolidoru laxitas, tumor, torpor, ſomnolentia, a petitus proſtratio, hydrops.

XXVIII. Talis uero ſtatus indicat ſe abundantis euacuationem; hoc uero omn um optime, 1) fugiendo aquoſa, 2) adh bendo ſtimulantia atque euacuantia, perfi poteſt, quae capite III. §. 214. et ſequ. cap. IV. §. 91. et ſequ. commendauimus.

XXIX. Rigiditas e contra, ſuccorum u ſciditas, alui conſtipatio, oris, narium alia rumque partium ſiccitas, ſeri tenuis innuun defectum, unde hic contrariae indoli remedia conducunt.

XXX. In mala qualitate, ad ſanguinis quae adeſt, dyſcraſiam reſpiciendum, d cuius indole limpha participat; illis igitu ſignis cognoſcitur, illisque remediis cura tur, quae capite IV. §. 84. usque ad §. 9 adducta ſunt.

XXXI. Admodum pernicioſi ſunt morbi qui a limphae ſtagnatione atque extrauaſa tione ortum ducunt, et alia grauia ſympto mata ſimul accerſunt, tales uero ſunt omne hydropis ſpecies.

XXXII. Hydrops eſt ſeri extra uaſa profu ſi, aut in uaſis ſtagnantis et eadem diſtenden tis collectio, tumorem comitem habens.

XXXIII

XXXIII. Hydrops diſtinguitur in uniuerſalem, ubi tota corporis moles a limpha extrauaſata intumuit; et particularem, pedes ſaltem aliaque organa occupantem.

XXXIV. A partibus, quas obſidet, hydrops uaria habet nomina, ſi enim caput hydrocephalus, ſi pericardium, hydrocardia, ſi umbilicum, hydromphalus, ſi ſcrotum, hydrocele appellatur.

XXXV. Diſtinguunt praeterea hydropem in ſiccum et humidum; humidi duas iterum ſpecies, anaſarcam et aſcitem, ſicci uero unam, nempe tympanitidem habemus.

XXXVI. Anaſarca, eſt hydrops uniuerſalis, totum corpus aqua repletum et tumidum exhibens, a limphae extrauaſatione ortus.

XXXVII. Aſcites uero eſt hydrops particularis, ubi abdomen ſaltem una cum pedibus a limpha extrauaſata et uberius collecta intumeſcit.

XXXVIII. Tympanites ſignificat tumorem abdominis durum, renitentem, qui digito percuſſus tympani inſtar ſonitum edit, et a ſpaſmis muſculorum abdominis et reſtagnante materia uiſcoſa et flatulenta ortum ducit.

XXXIX.

XXXIX. Triplici ratione hydrops indu-
citur, 1) arteriarum obſtructione, 2) uaſo-
rum limphaticorum ruptione, et 3) impe-
dita limphae ſecretae euaporatione aut in-
tra uenam receptione.

XL. Si igitur hydropis cauſa, obſtructio
limpha attenuanda et libera reſtituenda cir-
culatio, et ſerum, quod extra uaſa iam hae-
ret, euacuandum.

XLI. Tollitur uero obſtructio, hydropi
cauſa, 1) augendo uim oſcillatoriam fibrarum
per ſic dicta cardiaca, quae cap. V. §. 181
et ſequ. adducta, 2) tollendo ſpeciales ob-
ſtructionis cauſas per ea, quae cap. VII
§. 57. laudata. Atque eadem, et praeter haec
ſic dicta hydragaga, quorum cap. III. §. 217
et ſequ. fit mentio, et paracentheſis ad lim-
phae iam extra uaſa haerentis euacuationem
conueniunt.

XLII. Hydrops, qui uaſa limphatica diſ-
rupta ſequitur difficillime, ſi unquam, cura-
tur; ſerum enim extra uaſa profuſum non
alia ratione, quam ſtimulantibus aut para-
centheſi euacuari poteſt, ſed eadem remedia
uaſis diſrupti conſolidationem impediendo
uberiorem limphae effluxum procurant
ſin autem gummoſis, glutinoſis et terreis
laeſam partem uis ſanare, impeditur ſer-
extrauaſati reſolutio atque euacuatio.

XLIII. Quan-

XLIII. Quando limpha, quae in diuerſis partibus ſecernitur, reſtagnat, et a poris uenarum non reſorbetur; aut quando ob ſuppreſſam tranſpirationem inſenſibilem, uel impeditam ſecretionem urinae, idem generatur incommodum, pori obſtructi, fricando, applicandoque acria ſtimulantia, aperiendi, et reſtituta libera ſecretione animali, hydrops curandus.

XLIV. Si paracentheſi, de qua Heisteri et Verdvckii ſcripta chirurgica conſule, aquam extra uaſa haerentem uis euacuare, ante omnia de uiſcerum integritate, et ſufficientibus, quae ad hanc operationem requiruntur, uiribus, certus ſis, neceſſe eſt; fruſtra enim eadem alias ſuſcipitur, et operatione nondum finita pereunt aegroti.

XLV. Quidam paracentheſi, infimi ſcarificationem uentris ſubſtituunt, et nouam eamque ſiccam ſpongiam applicant, ut ſerum hac methodo euacuatum imbibat.

XLVI. Eundem in finem alii ueſicatoria abdomini et tibiis admouent, ueſiculas excitant, excitatas aperiunt, apertas fluentes ſuppoſitis foliis braſſicae ſeruant.

XLVII. Varia remedia, tanquam ſpecifica contra hydropem, nempe ab Hart-

manno, (m) liquor tapſi barbati; a Gor-
donio, (n) crudus radicis ireos ſuccus; a
Finckio, (o) lixiuium ex cineribus uitis e
frondibus iuniperi cum uino albo paratum
a Cratone, (p) ſuccus palmae Chriſti
atque ab aliis pilulae lunares, abſinthium
radix uincetoxici, gratiola, crocus, extra-
ctum marcaſitae, ſal ex urina hydropici pa-
ratum, ſal pimpinellae, commendantur.

XLVIII. Aſt haec remedia non haben-
ſpecificam atque abſolutam uim curandi hy-
dropem, ſed ſalis acris, quo referta ſunt
adiumento; tum in ſolida, tum in fluida
irritando, ſoluendo et diſſoluendo, agunt
unde eadem non in hydrope ſaltem, ſed in
quauis imbecillitate, quae cum ſeri abun-
dantia et ſolidorum laxitate eſt coniuncta
conueniunt.

LXIX. Hoc quoque in hydropis cura
conſiderationem meretur, quod uaria illi-
us origo, nempe ſuppreſſus fluxus men-
ſtruus, impedita, ob calculum, lotii ſecretio
alia ſubinde remedia poſtulet, quorum ex-
plicationem, capita de menſtrui excretione
ſanguinis, et functione, fabrica et morbis re-
num, ſuppeditant.

Capvt

(m) Prax. Chymiatr. p. 144. (n) lib. Med. P. 6. c. 5
(o) Enchir. Dogmat. Hermet. c. 26. (p) libr.
ſingul. conſil. Med. conſil. 131.

Capvt IX.

DE SVCCO NERVEO, CEREBRO, CEREBELLO ET SPINALI MEDVLLA.

I.

NErui, qui ſenſus motusque ſunt inſtrumenta, ſi appropriatus eosdem repleat et riget ſuccus, omnibus in tota machina perficiendis ſufficiunt.

II. Deficiente uero illo ſucco, aut impedito libero illius motu, ob malam, quam obtinet, qualitatem, uis neruorum languet, ſenſuum et ceterarum actio ferme aboletur.

III. Veteres, qui miros illos effectus animaduertebant, ſucco nerueo titulum ſpiritus animalis tribuebant, ſed ſic dicti ſpiritus animales, uitales et genitales non exiſtunt.

IV. Liquor neruoſus eſt latex ſanguinis tenuiſſimus, defecatiſſimus, uariis aliis particulis, pro uaria ſanguinis indole, imbutus, in corticali cerebri ſubſtantia ſecretus.

V. In huius ſucci ſecretione quatuor ſunt expendenda, 1) materia ſecernenda, 2) organum ſecretorium, 3) cauſa efficiens, 4) finis ſiue uſus.

 VI. Li-

VI. Liquoris neruoſi exiſtentiam Ar-
gentervs, Cabrolivs ac hos ſe-
quens Listervs (q) negant, ſed, cum in-
ciſis ſectisque neruis, ubique digitorum
apices unctuoſa humiditate irrorari ac per-
fundi, teſtibus Brvnnero (r) et Malpig-
hio, (s) obſeruemus; 2) ligato com-
preſſoque neruo, motus partis, in quam a-
bit, ſecundum Bellini a Bohnio (t) lau-
datum experimentum, impediatur, meri-
to Listeri opinio, uana innitens ratiocina-
tione, repudiatur.

VII. Vana utique eſt ratio, qua nititu-
Listervs, aſſerens, manifeſtos in nerui
meatus deſiderari; demonſtres mihi tales
meatus in radicibus plantarum et pediculi-
foliorum, nullos certe inuenies, cum ta-
men per ligneas eorum fibras ſuccus nutri-
cius tranſeat, et per totam plantam arbo-
remque diſtribuatur.

VIII. Hoc tamen non diffitendum, quod
multi multa abſona de liquore neruoſo in
medium attulerint; in hunc cenſum refe-
renda Mvralti (u) ſententia, qui liquo-
ris neruoſi particulis figuram rotundam tri-
buit, illasque ſolis inſtar lucere, affirmat.

IX. Ne

(q) Diſſert. de humor. cap. 50. p. 451. et ſequ. (r)
Tr. de Pancr. p. 141. (s) oper. poſthum. p. 27
(t) Circul. Anat. Phyſiol. pro gymn. 19. (u)
Colleg. Anatom. Lect. 31. p. m. 531. et ſequ.

IX. Nec liquidum nerueum igneum, uel lucidum, aut aethereum, ex mente CARTESII (w) WILLISII (x) et VIEVSSENII (y) eſt; nec idem ad inſtar aurae uel exhalationis tenuiſſimae, ſecundum STENONEM, (z) comparatum.

X. Perperam quoque ſuccus nerueus cum ſpiritu nitro-aereo a MAIOVIO, cum ſale uolatili oleoſo, a BORELLO, ac cum acido, a Domino PASCAL (a) comparatur.

XI. Materia enim huius liquoris praecipua, eſt limpha tenuior et purior, quae parum uel nihil ſalis in ſe continet, ac quod, ſi adeſt, uariam, pro ſanguinis genio, naturam obtinet.

XII. Hoc clarius, examinata organi ſecretorii fabrica, perſpiciemus; organum ſecretorium, eſt cerebrum, ac praecipue corticalis ſeu cineritia illius ſubſtantia, quae innumeris arteriolis, in congeriem uaſculorum tomenti inſtar exiliſſimorum et molliſſimorum, minima ui euaneſcentium, explicatis inſtructa eſt.

 XIII. Per

(w) Tr. de Paſſ. animi. (x) Anat. Cerebr. cap. 10 (y) Neurograph. uniuerſ. lib. 1. cap. 15. (z) Diſſert. de Anat. Cerebr. (a) la Nouvelle Decouverte et les admirables effets des ferments dans le corps humain.

XIII. Per tomentoſas illas extremitates, minime uero per glandulas, quas Bidlovs, Malpighivs et Baglivivs cerebro tribuunt, peragitur huius liquoris ſecretio, ut Rvyschii (b) obſeruationes atque experimenta euincunt.

XIV. Cerebrum eſt uiſcus uaſculoſum et fibroſum, in duo haemiſphaeria diuiſum, in cranio contentum, et liquoris neruoſi ſecretioni deſtinatum.

XV. Duplex cerebro ſubſtantia tribuitur, alia externa cineritia ſiue corticalis dicta, alia interna, quam albam et medulloſam appellant; haec ex innumerarum et albarum fibrarum congerie a minimis corticalis ſubſtantiae arteriis progredientium conſtat; illa uero nobis copioſiſſimorum uaſculorum ſanguiferorum et filamentorum miro ordine miriſque gyris complicatorum contextum ſiſtit.

XVI. Vna eademque eſt cerebri, cerebelli et ſpinalis medullae ſtructura; cerebellum enim, eſt uiſcus uaſculoſum, inferiore et poſteriore cranii parte ſub poſterioribus cerebri lobis collocatum, rotundum, cerebro minus gyroſum, pluribus uero ſulcis per mediam

(b) Epiſt. Anat. XII.

mediam diſtributis ſubſtantiam, et in uermiformem proceſſum abeuntibus, inſtructum, liquoris neruoſi ſecretioni inſeruiens.

XVII. A cerebro et cerebello producitur medulla oblongata, quae nihil aliud eſt, quam interioris atque inferioris cerebri et cerebelli ſubſtantiae propagatio, caudae inſtar, coalita, atque ad foramen magnum oſſis occipitis extenſa, omnium neruorum conſtituens principium.

XVIII. Non omnes ſaltem nerui, ſed ſpinalis etiam medulla, ex eo, quem modo deſcripſi cerebri et cerebelli fine, ortum ducunt; nam medulla ſpinalis, eſt medullae oblongatae continuatio, per totam dorſi ſpinam, qua includitur, diſtributa, ſucci neruei ſecretioni et diſtributioni deſtinata.

XIX. Quod uero in ſpinali medulla admiratione dignum, ſubſtantia medullaris externe deprehenditur, corticalis uero ſeu cineritia internam occupat partem, quo in hac ſuccus neruеus ſecernatur, atque ex illa nerui propagati ſuccum ſecretum diſtribuant.

XX. Ad has partes, continuo cordis motu, per arterias ſanguis deriuatur, ac per tomentoſas illarum extremitates ſerum tenuiſſimum et limpidiſſimum tranſcolatur,

ac a tergo ſequentis preſſione in fibras medulloſae ſubſtantiae et medullae oblongatae et dehinc in ipſos neruos promouetur.

XXI. Cum igitur huius ſecretionis cauſa efficiens ſit ſanguinis circulus, corruit innata, quam cerebro tribuunt, facultas, liquidum nerueum, ſeu ſic dictos ſpiritus animales elaborandi; nec ab anima hoc negotium deriuandum.

XXII. Ne uero unquam in cerebro deficiat materia liquoris neruoſi ſecretioni accommodata et neceſſaria, quatuor ductus maiores conici, duae arteriae carotides et duae uertebrales adſunt, quae continuo ſanguinem ad cerebrum deducunt; alias enim, ſi unicum eſſet uas, eodem obſtructo, qualem obſeruationem de carotide dextra occluſa et lapidea habet Willis, (c) illico de uita eſſet actum.

XXIII. Nam a liquoris neruoſi ſecretione, ſecreti in neruos deriuatione, ſenſus et motus dependet; perit, obſtructo compreſſoue neruo optico, uiſus; claudicat, neruo crurali ligato, canis; languet et penitus demum ceſſat cordis motus, neruo paris uagi diſſciſſo aut conſtricto.

XXIV.

(c) Oper. Med. Tr. de Cerebr. cap. 7. p. m. 25.

XXIV. Hic uſus et finis eſt ſecretionis liquoris neruoſi, quem clarius ex iis affectibus, qui ab impedito motu tonico proueniunt, cognoſcere poſſumus; motus tonicus uero nihil aliud eſt, quam certa et proportionata fibrarum partes componentium extenſio et huic ſuccedens contractio, a ſuccorum influxu, et ſolidorum ui elaſtica dependens.

XXV. Hunc motum probant, tempore ſomni, partium laxitas, tempore uigiliarum, rigiditas; tempeſtate pluuioſa, flacciditas, frigida e contra et ſicca, conſtrictio; imo idem ex iis, quibus homines laborant, dyſcraſiis euincitur, rigiditas in cholericis et melancholicis laxitas in phlegmaticis obſeruatur.

XXVI. His illuſtrandis ea ſeruiunt, quae in praxi medica et chirurgica quotidie occurrunt; relaxationis documentum in paralyſi habemus; intenſionem uero motus tonici probant ſpaſmi; utrumque autem, nempe remiſſionem atque intenſionem alternantem in conuulſionibus et febribus deprehendimus, quibus ea addenda, quae in uulneribus et luxationibus occurrunt phaenomena.

XXVII. Vti nerui, motus inſtrumenta, ita iidem pariter, laeſi motus et morborum hinc prouenientium, partem affectam conſtituunt.

XXVIII. Nerui autem, ſunt uaſa tereti
alba, ex fiſtulis ſubtiliſſimis firmius inter
compactis compoſita, a medulla oblonga
et ſpinali, ad omnes partes, pro conſerua
do ſenſu et motu, propagata et protenſa.

XXIX. Nerui, medulla, inſtar ſambuc
uti perhibet Borellvs, non referti ſun
nec, quae eſt ſententia Regii, ualuula
poſſident; multo minus, ex mente Col
in neruis orificia atque exitus patente
adſunt; neque ſecundum opinione
Willisii, nerui cerebri, actionibus uolu
tariis, et nerui cerebelli, actionibus du
taxat mechanicis ſeruiunt.

XXX. Nerui omnes ſuam originem h
bent, ab oblongata partim, partim a ſpina
medulla; a medulla oblongata, ſecundu
Heistervm, nouem, ſecundum Willi
sivm, decem paria neruorum prodeunt
e ſpinali uero medulla, triginta et unum ue
duo paria, thoracis, abdominis et pedu
partibus miniſtrantia, egrediuntur.

XXXI. Cum autem ſuccus nerueus, con
tinuo in cerebro ſecernatur, ſecretus in ner
uos deriuetur, nulla uero adſint uaſa reue
hentia; nec probabile, illum, per eandem
qua abducebatur, uiam, ad idem principi-
um redire; rationi conuenientiſſimum cen-
ſeo, eundem per papillas, quae neruorum
ex-

extremitates conſtituunt, tum in diuerſis uiſceribus atque organis, tum in toto corporis ſuperficie exhalare; unde nimium ſudorem tanta illico uirium iactura ſequitur.

XXXII. Haud obſcurum ex hoc phaenomeno, documentum ſumere poſſumus, qua ratione meditationes profundae, lucubrationes nimiae, uigiliae conſtantes, corporis robur deſtruant; cum enim hiſce actionibus intendatur tenſio neruorum, eoque ipſo ſucci neruoſi exhalatio augeatur, penitus non mirandum, neruos omnino exareſcere, et tam cerebrum, quam totam machinam debilitari.

XXXIII. Ad huiusmodi incommodum aboliendum, et reſtituendum priſtinum uigorem, uulgo ſic dicta analeptica et cephalica commendantur; ſed cum eadem maximam partem ſint aromatica et uolatilia, quale emolumentum, in eo, quem deſcripſi, ſtatu, ab ea, quam allegaui §. antecedente 32, cauſa, producto, ſit expectandum, ſatis liquet.

XXXIV. Analeptica, illa uocantur medicamenta, alimenta et potulenta, quae uires recreant et reparant, et cum cardiacis conueniunt.

XXXV. Cephalica autem, ea ſunt remedia,

media, quibus uirtus cerebrum aliasqu capitis partes reſpiciens tribuitur; ſed ana leptica, quae illico in liquoris neruoſi na turam tranſeant eundemque in momen to reparent, non dantur; nec proſtant ce phalica, quae in omni capitis morbo ſuff ciant, et illam ſaltem, non aliam, petan partem.

XXXVI. In duas claſſes alias cephalic diuiduntur, 1) in aperientia et reſoluentia 2) in leuiter ſtimulantia atque adſtringentia ad primam claſſem quaeuis ſalia uolatili ſimplicia atque oleoſa referuntur; alteram uero temperata acida, acetum liliorum con uallium, calendulae, roſarum, uiolarum conſtituunt.

XXXVII. Haec autem minime ſufficiunt diſcrepans et multiplex eſt cauſa affectuum capitis; tot igitur analeptica, quot uirium impedimenta, ac tot cephalica, quot cauſae morborum caput afficientium proſtant, conſtituenda.

XXXVIII. Habita ratione liquoris neruoſi, tria analepticorum et cephalicorum genera adducenda, 1) alia defectum huius ſucci reparant; 2) alia corruptam illius naturam emendant; 3) alia, motum anomalum in ordinem redigunt.

XXXIX.

XXXIX. Inopiae liquidi neruei omnia ea ſuccurrunt, quae 1) largiorem ſuccorum laudabilium copiam praebent; 2) ſucci illius profuſionem impediunt, et huius in cerebro ſecretionem promouent.

XL. Quo igitur uoti noſtri hic compotes reddamur, bona primarum uiarum et cordis conſtitutio neceſſaria; hinc ſi quaedam incommoda ibi haereant, eadem remouenda; his expeditis, ad cerebrum, cumprimis ad apices arterioſos in corticali ſubſtantia conſtitutos, reſpiciendum; ſi enim illi ſunt obſtructi, fruſtra uſurpantur boni alimenta ſucci; ante omnia hic uiae obturatae reſerandae, et in iisdem ſecretio liquoris neruoſi et ſufficiens illius quantitas reparanda.

XLI. Sin uero liquor neruoſus, in maiori, quam ſeparatur, quantitate, per moerorem, lucubrationem, uehemens corporis exercitium, profundatur, cauſae illae occaſionales fugiendae, et contraria uitae uictusque ratione praeſenti infirmitati ſuccurrendum.

XLII. Ea denique, quae deficientem liquoris neruoſi materiam reparant, ſunt duplicis generis, alia, quae limpham, alia, quae ſalia communicant.

XLIII. Haec uero ad ſecundam claſſem

quoque

quoque referenda, nam ſi ſuccus neruei nimis aquoſus neruos ualde relaxat et to porem inducit, aromata, olea aetherea, quaeuis ſpirituoſa conducunt; quando a tem ſalia ſero minus temperata, uehementiu irritando neruos, ſiccitatem et rigiditatem nimiam inducunt, humectantia, aquae d ſtillatae ſimplices, emulſiones ex ſeminibu confectae, decoctum hordei, auenae, corn cerui, glycyrrhizae et iuſcula tenuia cum g latinoſis praeſcribenda.

XLIV. Plures adhuc ſpecies laeſae qua litatis ſucci neruoſi eſſent adducendae, cum uero idem a ſanguine ſeparatur, adeoqu mala illius qualitas a ſanguinis uitio depen det, ea conſideranda et peragenda, qua Cap. IV. §. 84. ad 98. adducuntur.

XLV. Pro uaria natura et conſtitutione quam obtinet ſuccus nerueus, diuerſa ra tione illius motus laeditur, et nunc tardior nunc celerior, nunc penitus inaequalis eſt unde uarii generis mala, ſpaſmi, conuulſio nes, affectus ſoporoſi, dolores, deliria uertigo et mors originem ducere ſolent.

XLVI. Praecipuam et primariam motus anomali neruorum ſpeciem conuulſiones e ſpaſmi conſtituunt; confunduntur ordi nario hae infirmitates, aſt magnum utique inter eaſdem intercedit diſcrimen, quod clarius ex deſcriptione perſpiciemus.

XLVII.

XLVII. Conuulſio ;eſt uiolenta, inuita, :que alterne repetens partium muſculoſa- ım contractio et diſtractio, ab inaequali :que alterna ſucci neruei in muſculos pro- uſione ortum ducens.

XLVIII. Spaſmus uero, notat uehemen- em partis contractionem, abſque ſucceden- e reſtitutione, a ſublato inter muſculos an- agoniſtas aequilibrio ortam.

XLIX. Hoc clarius conſtabit, ſi ad ea, uae in epilepſia et tetano obſeruamus, ſym- ɔtomata attendimus; nam in epilepſia, quae onuulſionem uniuerſalem ſignificat, mu- culos iam contrahi, iam iterum relaxari, de- ɔrehendimus, aſt in tetano ſola contractio, bsque reſtitutione et relaxatione, perci- ɔitur.

L. Conuulſio ut et ſpaſmus, uel uniuer- ſalis, uel particularis; conuulſio uniuerſalis, epilepſia, ut plurimum abolitam perceptio- nem in paroxyſmo comitem habens; anim- aduerti tamen epilepſiam, ubi aegroti non dolorem modo, ſed omnia, quae ge- rebantur, obſeruabant.

LI. Conuulſio particularis, iam oculos, iam pedes manuſue afficiens maximam par- tem epilepſiae prodromus eſt, uti idem in febricitantibus atque infantibus huic mor- bo obnoxiis uidemus. LII.

LII. Spaſmi uniuerſalis tres ſunt ſpecie 1) tetanus, 2) opiſthotonus, 3) emproſtth tonus; tetanus eſt ſpaſmus uniuerſalis, niuerſum corpus erectum, ſenſu et mo deſtitutum, et rigidum, ita ut nec uerſ anteriora uel poſteriora moueri queat, ſtens, a neruorum infarctu, preſſione, a nimia eorum criſpatione proueniens.

LIII. Opiſthotonus autem eſt ſpaſm uuiuerſalis, ubi totum corpus ad partem p ſteriorem ita detorquetur, ut nec in ſitu rectum, multo minus in anteriora flec queat.

LIV. Differt in eo ab Opiſthotono Em proſthotonus, quod hic machina uerſus an teriora, cum ſumma omnium partium r giditate, ſit contracta, et mentum pecto iunctum.

LV. Spaſmi particulares, a partibus la borantibus uaria habent nomina; ita ſpa ſmus, qui muſculos oculorum afficit, ſtra biſmus; qui mandibulas et tempora, triſmus qui alteram faciei partem, ſpaſmus cynicus raptus caninus atque oris tortura; qui totam faciem, praecipue muſculos labiorum, riſu ſardonicus; qui penem, priapiſmus appel latur.

LVI. Cauſae conuulſionum ad quatuo capita reduci poſſunt; 1) continet ea, qua nimi

imis euacuando, 2) nimis replendo,
) fortius irritando, 4) neruum pungendo,
acerando, aliaque ratione laedendo, ui al-
erna, liquidum nerueum in partes conuul-
is propellunt.

LVII. Prima cauſa frequenter in foemi-
is grauidis plethoricis, uirginibus, quibus
ifficulter menſes prodeunt, atque huius
uxus obſtructione laborant, occurrit; in
uo caſu uenae ſectio praeſentiſſimum eſt
emedium, uti Cap. II. §. 38. demonſtra-
um.

LVIII. Conuulſiones uero a nimia eua-
uatione excitatae, 1) ſiſtendo humorum
ffluxum, 2) euacuatos ſuccos analepticis re-
arando, quorum cap. II. §. 46. et cap. prae-
enti §. 39. 40. 41. facta mentio, curantur.

LIX. In conuulſionum medela, quae ab
rritatione neruorum ortum ducunt, tum
auſae irritantis, tum loci, ubi eadem hae-
et, habenda ratio; nam haud raro idem
nalum a difficili dentium eruptione, maſſae
ariolaceae uehementiore commotione,
ermium in inteſtinis praeſentia, pure in ce-
ebro aliaque cauitate herente, nonnun-
uam a partium inflammatione, acrimonia
iliosa et nimia neruorum rigiditate, quan-
loque a cruditatibus uentriculi acribus, aut
lius eroſione generatur, et nunc alui con-

ſtipationem, nunc dyſenteriam, iam n
mium motum, iam uitam ſedentariam i
quitur.

LX. Euitatis et repudiatis cauſis occaſi
nalibus, haec indicatio formanda, 1) acre
quoduis irritans remouendum, 2) tempera
dum; ita, ſi materia purulenta in parte qu
dam collecta cauſam conſtituat, eadem, op
ratione chirurgica, euacuanda; ſi ſpicula
oſſibus auulſa idem excitent incomm
dum, eadem ſectione eximenda, atque a
plicato ſucco lumbricorum, nerui irritati
laeſi relaxandi et conſolidandi.

LXI. Ad curam conuulſionum, qu
morſum uel ictum uenenatum, aut ne
uum acu alioue ſimili inſtrumento laeſu
ſequuntur, requiritur, 1) uulneris anguſ
oris, ut ſanies effluat, dilatatio, 2) maſſ
acris per applicatam cucurbitam et ſcari
cationem, euacuatio, et 3) lacerati neru
per emplaſtrum de palma oleo roſarum d
ſolutum, conſolidatio, 4) ueneni acris
calini intra ſanguinem recepti, per ale
pharmaca acida et diluentia calida expulſi

LXII. Quid igitur de ſic dictis ſpecific
antepilepticis, nimirum ſanguine muſtela
quem ad uncias duas cum aceti drachn
una commendat Avgenivs; (e) de ſangu

(e) Epiſt. et conſil. med. tom. 2. lib. 8. p. m. 575.

ne epileptici, quem ouo ſorbili miſtum, bibendum aegroto, teſte Bartholino, (f) praebent; de cingulo ex pelle luxi confecto, quod, ſi ſucco uerbenae imbutum nudo applicetur corpori, tam diu hominem ab epilepſia praeſeruare, quam diu geſtatur, Dorncreilius (g) perhibet; de ſpiritu uitrioli antepileptico Hartmanni, ſale uolatili ſanguinis et cranii humani, oleo animali Dippelii, ungula alcis, ſemine et radice poeoniae, coruo ad nigredinem uſto, hepate ranae, ſtercore pauonis, oleo heraclino Rulandi, ſit iudicandum, tum uaria epilepſiae origo, tum diſcrepans illius cauſa materialis, uti in antecedentibus iam explicatum, ſatis ſuperque demonſtrant.

LXIII. Idem ferendum iudicium de ſpecificis antiſpaſmodicis; pro praecipuis antiſpaſmodicis anodyna habentur, illa tamen ſaepius eosdem inducunt; ac quomodo unum idemque remedium ſpaſmos curare poteſt, qui nunc a repletione, nunc ab inanitione, modo a neruorum uellicatione, modo ab eorum preſſione, iam a frigore, iam a calore, nunc a ſeri abundantia, nunc ab illius defectu, modo a menſium ſuppreſſione, modo a nimio eorum fluxu, ac multis

(f) Hiſt. Anat. rar. Cent. 2. obſ. 78. (g) Empyric. lib. 1. cap. 3.

multis aliis iisque diuerſis cauſis ortu
ducunt.

LXIV. De eo igitur in curandis ſpaſm
ſis ſollicitus, ut, perſpecta morbi origi
et materiae peccantis indole, eandem u
cum ſpaſmis, 1) alterando, iis, quae Ca
IV. §. 85. et ſequ. adducuntur, 2) euacua
do, ſecundum §. 38. cap. II. et §. 57. et ſeq
§. 159. et ſequ. §. 169. et ſequ. Cap. I
3) amiſſum, per ea, quae §. 39. praeſent
capitis, laudantur, reparando, 4) parte
conſtrictam per conuenientia topica §. 3
cap. II. ordinata, relaxando, relaxatam ue
adſtringendo, tollas.

LXV. Ex eo fundamento ſic dictis ſp
cificis antapoplecticis, antiparalyticis, h
pnoticis atque anodynis minime habenc
fides; quod enim in illo apoplexiam cura
illud in hoc eandem excitat, aut praeſente
deteriorem reddit, uti apoplexiae ſangu
neae et pituitoſae exemplo demonſtra
poteſt.

LXVI. Apoplexia ad affectus capitis eo
que ſoporoſos refertur; illorum uero uari
ſunt ſpecies, nempe coma, lethargus ſe
ueternus et carus. Summus eorum gradu
eſt apoplexia, quae ſignificat paralyſin co
poris uniuerſalem ab intercepto liquoris ne
uoſi motu ortam.

XCVI

LXVII. Apoplexiae quatuor ſtatuuntur gradus, 1) apoplexia fortiſſima, ubi nullum ferme ſuperſtitis uitae ſignum adeſt; 2) apoplexia fortis, ex reſpiratione adhuc praeſente, aſt grauiter laeſa, cognoſcenda; 3) minus grauis, quae reſpirationem liberiorem, non tamen ſine anhelatione habet; 4) leuiſſima, ubi reſpiratio naturalis cum aliqua ſenſus et motus ſuppreſſione, non autem plenaria abolitione adeſt.

LXVIII. Ratione cauſae materialis apoplexia, in ſanguineam, largiore uenae ſectione praeſeruandam et curandam, ac in pituitoſam, quae ſalia uolatilia externe interneque adhibita, ori immiſſa, aluo iniecta, nuchae et capiti applicata poſtulat, diſtinguitur.

LXIX. Gradu ſaltem ab apoplexia, carus, coma et ueternus differunt, et grauiorem uel leuiorem ſenſus motusque laeſionem notant.

LXX. Coma et cataphora ſunt ſynonyma, et non magnam ſaltem ad ſomnum propenſionem, ſed ſomnum quoque profundiorem, ex quo difficulter homo expergiſci poteſt, a neruorum compreſſione aut obſtructione excitatum, denotant; et talis ſtatus coma ſomnolentum dicitur, et in eo a lethargo differt, quod aegroti hic facilius ex ſomno excitentur, quam in lethargo;

nec delirent et tam obliuioſi ſint, quam i
lethargo.

LXXI. Haud leuis eſt differentia inte
coma ſomnolentum et uigil, in hoc enir
continuum peruigilium, in illo conſtans i
que profundior ſomnus urget. Eſt auter
coma uigil, ſumma et continua, ſed fruſtra
nea ad ſomnum propenſio cum delirio co
iuncta, a fortiore neruorum ſuccis ferm
omnibus priuatorum irritatione proue-
niens.

LXXII. Lethargus, eſt inexpugnabili
dormiendi neceſſitas, febrem comitans con
tinuam, ac cum omnium rerum obliuion
et delirio coniuncta.

LXXIII. Carus maiorem profundiorem
que ſomnum cum oculis conſtanter clauſis
febris, delirii et dyſpnoeae expertem, de
notat.

LXXIV. In horum morborum curatio-
ne laborandum eſt, ut obſtructio compreſ-
ſioque cerebri tollatur, atque inſtaurato in-
fluxu liquoris neruoſi, ſenſus motusque re-
uocentur, quod iis, quae ſupra §. 68. prae-
ſentis capitis, allegata, perfici poteſt.

LXXV. Phrenitis, paraphrenitis, melan-
cholia, mania, hydrophobia ſeu rabies ca-
nina, tarantiſmus, chorea S. Viti, agrypnia,
ſunt

unt cerebri affectus antecedentibus peni-
us contrarii.

LXXVI. Mania quamuis mentis alienationem idiopathicam et ſympathicam, cum et ſine febre, in genere ſignificat; in ſpecie autem mania, eſt delirium absque febre, maximam ferociam atque audaciam comitem habens, et ſi ab utero affecto amoreque ortum ducat, dicitur hyſteromania.

LXXVII. Melancholia, eſt dementia, uel continua, uel interrupta, febris et furoris expers, metu econtra, triſtitia, profundis atque ineptis meditationibus comitata, quae pro uaria mali ſede, uariis inſignitur nominibus, uti exemplo melancholiae hypochondriacae conſtat.

LXXVIII. Hydrophobia, quae alias quoque cynanthropia, lycanthropia, daemonium caninum et lupinum, rabies canina ac lupina dicitur, eſt delirium cum furore atque abominatione liquidorum, uel impedita eorum deglutitione coniunctum, a morſu canis rabidi productum.

LXXIX. Tarantiſmus eſt delirium cum artuum tremore, ſopore, ſpaſmis et ſaltandi cupiditate iunctum, a morſu araneae in Apulia, quam tarantulam dicunt, excitatum.

LXXX. Tarantiſmo affine malum eſt Chorea S. Viti, delirii cum conuulſionibus iuncti ſpecies, a falſa eaque fortiore impreſſione dependens, qua deluſi aegroti eo usque ſaltant, donec inſtar ecſtaticorum aut mortuorum corruant, uti idem eleganter Horstivs (h) indicauit atque explicauit.

LXXXI. Paraphrenitis, eſt ſymptoma febrium acutarum, et leuem denotat mentis abalienationem, furore liberam, ab inordinato et deprauato liquoris neruoſi motu ortam; ſecundum alios, paraphrenitis, eſt delirium ſympathicum, quo cerebrum, ex conſenſu cum aliis partibus aegrotis, afficitur.

LXXXII. Phrenitis autem, eſt delirium perpetuum, uehementius, cum febre acuta, peruigilio, furore, riſu, clamore, aliisque grauioribus ſymptomatibus iunctum.

LXXXIII. Cauſa proxima omnis delirii, ab idearum, non externis cauſis, ſed internae cerebri diſpoſitioni reſpondentium, ortu, cum quibus iudicium, et mentis corporisque motus conſentiunt, dependet.

LXXXIV. Fundamentum autem iſtius incon-

(h) in epiſtol. medicin. ſ. 7. de admirandis conuulſionibus.

incongrui idearum ortus et combinationis in affecto principio neruoſo, illiusque obſtructione aut compreſſione, uel celeriore aut tardiore liquidi neruei motu conſiſtit.

LXXXV. Pro uaria cauſarum conſtitutione, diuerſa eligenda remedia, cumprimis ea adhibenda, quae §. 40. 41. 42. et 43. commendata; his, pro circumſtantiarum ratione, addenda leniora anodyna, clyſmata emollientia, pediluuia, frictiones, diluentia, uenae in pedibus ſectio, et omnibus uiribus laborandum, ut ſolennes ſecretiones rite procedant.

LXXXVI. Venae ſectio et purgantia minime pro certo maniacorum et melancholicorum remedio habenda; eadem potius, ſi draſtica, illis nocent, quia hic pituita immeabilis, ſal acre ſero minus dilutum, et ſolidorum rigiditas peccat; unde ueterum error, qui in allegatis morbis helleborum commendabant, demonſtratur.

LXXXVII. In iis potius, ac in phrenitide et paraphrenitide, ſeroſa, gelatinoſa, nitrata et leniora acida nunquam non proſunt; cumprimis, ſi in melancholicis poſt dilutam emollitamque ſeroſis pituitam, ſalia et ſaponacea ad expurgationem praeſcribantur.

LXXXVIII. Tarantiſmi cura penitus peculiaris eſt, eaque concentu inſtrumentorum muſicorum accommodato perficitur; ubi hoc ſingulare phaenomenon occurrit, quod aegroti diuerſa ueneno affecti ratione diuerſis ſonis et cantibus delectentur.

LXXXIX. Agrypnia deliriorum ſymptoma partim, partim eorum cauſa exiſtit, uti lugubria eorum exempla confirmant, qui tum ob amentiam, omni ſomno carent; tum per continuas meditationes et lucubrationes, non in peruigilium modo, ſed in maniam quoque, aut melancholiam incidunt.

XC. Notat uero agrypnia impotentiam dormiendi a continua neruoſarum fibrarum irritatione prouenientem.

XCI. Optime ſane agrypniae, et incommodis exinde expectandis eſſet proſpectum, ſi ſpecifica hypnotica, quae tuta et certa eſſent, proſtarent.

XCII. Sed ſana indicat ratio, et quotidiana confirmat experientia, quod aqua hypnotica Dorncreullii, philonium Romanum, theriaca mithridatium, diaſcordium Fracaſtorei, pilulae de cynogloſſa et ſtyrace, aliaque ex opio parata remedia, noxia partim, partim minus ſufficientia aut utilia ſint ad ſomnum inducendum. XCIII.

XCIII. Neceſſarium igitur, ut in cura agrypniae, cauſas reſpiciamus; mentis enim tranquillitas, optimum hypnoticum in agrypnia, quae a moerore aliisque animi affectibus dependet.

XCIV. Illis, qui uigiliis, meditationibus, uehementi corporis motu, ſeminis aliorumque ſuccorum laudabilium profuſione, potus acrioris abuſu, tenuis iacturam feri induxerunt, maxime proficua ſunt humectantia ex amygdalis dulcibus, aquis deſtillatis et abſorbentibus parata, quibus adiungenda pediluuia et balnea humectantia et refrigerantia, quae ſaepius aegrotus ingrediatur.

XCV. Agrypniam, ab aluo conſtipata clyſmata ſoluunt; peruigilium, quod catarrhum acrem comitatur, pilulis de ſtyrace, uel de cynogloſſa, uel alio conuenienti remedio opiato curatur; uigilias nimias a nimia uenere nimiisque ſanguinis profuſionibus ortas, tum impedita ulterior excretio, tum amiſſi reparatio emendat.

XCVI. Ita haud leue ſomni incommodum atque impedimentum, eſt uentriculus cibis repletus, ſanguis abundans, flatus retenti, quae tum abſtinentia, tum uenae ſectione, carminatiuis aliisque remediis origini accommodatis, tollenda.

XCVII.

XCVII. Atque hoc in ceteris capitis affectibus ſedulo quoque obſeruandum, ex quorum claſſe eſt uertigo. Vertigo uero, ſeu δῖνος Graecis dicta, eſt deprauata imaginatio falſae circumgyrationis obiectorum et ſu ipſius, cum uiſus obſcuratione, cordis palpitatione, tinnitu aurium aliisque ſimilibus ſymptomatibus, ab inſolito tremore aut dimotione tunicae retinae et neruorum dependens.

XCVIII. Laborandum hic, ut, ſi uertigo idiopathica, ſucci uiſcidi reſoluantur, acres temperentur, remoueantur, et cerebrum roboretur, iis, quae hunc in finem ſaepius in antecedentibus commendauimus.

XCIX. Sin uero uertigo ſympathica, atque a ſtomacho cruditatibus repleto oriatur, uel emetico, aut purgante, uel eccoprotico, quae cum neceſſariis cautelis capite III. inueniuntur, eaedem expurgandae.

C. In uertigine uero ab inedia proueniente panis bis coctus in uino generoſo ſumtus, aut iuſculum ex chocolada conducit. Eam, quae a uehementiore commotione ſuccorum feruore et turgeſcentia orta, uertiginem, quies, temperantia et uenae ſectio curat.

CI. Paralyſis, eſt ſenſus et motus abolitio, a ner-

a neruorum reſolutione et flacciditate dependens.

CII. Paralyſis, eſt uel uniuerſalis, uel particularis; paralyſis uniuerſalis, eſt apoplexia; particularis duae praecipuae ſpecies peculiari inſignitae nomine proſtant, nempe Paraplegia et Hemiplegia.

CIII. Paraplegia, eſt omnium partium, excepto capite, reſolutio, plerumque ab obſtructione ſpinalis medullae proueniens.

CIV. Hemiplegia uero, alterutrius duntaxat lateris paralyſin, ab obſtructione uel compreſſione neruorum huius lateris excitatam ſignificat.

CV. Cauſa proxima in nimia fibrarum muſculum conſtituentium relaxatione conſiſtit, illa autem ab impedito liquidi neruei aut ſanguinis in easdem influxu deriuanda.

CVI. Paralyſis uiſcerum nobiliorum, cordis, pulmonum, non periculoſa ſaltem, ſed breui lethalis, antequam cognoſci et eurari queat.

CVII. In cura paralyſeos, cauſarum habenda ratio, et cum eadem iam a ſeri uiſcidi colluuie, iam ab humorum abundantia; modo ab arteriarum et neruorum obſtructione et compreſſione, modo a liquidi nerXuei

uei defectu oriatur, remediis, quae §. 51
cap. II. §. 60. 72. et ſequ. §. 183. et ſequ.
cap. III. §. 90. et ſequ. cap. IV. §. 36. cap.
praeſentis, commendata, cauſae illae corri-
gendae et remouendae.

CVIII. Catalepſis, eſt repentina arbitrarii motus abolitio, ſalua manente determinatione ſemel facta, reſpiratione, pulſu, colore et calore totius corporis, ab intercepto, quod menti cum corpore intercedit, commercio, proueniens.

CIX. Duplici modo mentis cum corpore communicatio impeditur, 1) profundiore rei meditatione, 2) infarctu et compreſſione neruorum ſenſui et motui uoluntario ſeruientium.

CX. Profundae meditationes, 1) alta uoce uocando aegrotum, 2) aliud obiectum triſtes abigens cogitationes ſiſtendo, tollendae; catoche uero, quae a neruorum infarctu et compreſſione prouenit, iis curanda remediis, quae §. 63. praeſentis capitis, allegata.

CXI. Ad morbos capitis refertur quoque catarrhus, quia ueteres cerebrum pro officina pituitae habebant, quam, ſi in ſubiectas partes deſtillaret, uarias catarrhorum ſpecies excitare, affirmabant.

CXII.

CXII. Catarrhus uero eſt ſeri uel quantitate, uel qualitate peccantis, in ſuis uaſis et uiis interceptio ſeu ſtagnatio et profuſio.

CXIII. Limpha igitur uitioſa non ex cerebro ad nares, palatum aliasque partes deſtillat, quia os cribriforme a dura matre ita clauſum eſt atque obturatum, ut per illud nihil ex cerebro ad os, palatum, aut nares deferri queat.

CXIV. Potius huius liquoris uberior prouentus ex apicibus arterioſis, qui in magna copia per membranam narium diſſeminati ſunt, deriuandus.

CXV. In ore autem adeſt membrana pituitaria Schneideri, quae totum palatum intus ſuccingit, et pluribus tomentoſis arteriarum extremitatibus inſtructa, ſeri, quod ex cerebro per palatum ad os mitti ueteres credebant, ſecretioni inſeruit.

CXVI. Hac ratione in aliis partibus, eodem modo, catarrhi generantur, qui ab antiquis in frigidos et calidos, a recentioribus in acres et pituitoſos diſtinguuntur.

CXVII. Si catarrhorum, ſiue illi cum, ſiue ſine febre ſint, curam ſuſcipis, tum de maſſae uiſcidae reſolutione et acris abſorbitione, tum de utriusque per aluum et ſudorem euacuatione ſis ſollicitus.

CXIIX.

CXVIII. Maſſa uiſcida iis reſolui atque euacuari poteſt, quae §. 51. cap. II. §. 60. 67. 72. et ſequ. cap. III. §. 92. et 93. cap. IV. §. 112. et 113. cap. IV. ſunt commendata.

CXIX. In limphae uero acrimonia, quae ſaepius catarrhis anſam praebet, ea notanda et facienda ſunt, quae §. 197. et ſequ. cap. III. §. 85. 87. 95. 97. cap. IV. §. 110. et 111. cap. V. praeſcribuntur.

CXX. Topica parti catarrho affectae applicari poſſunt, ſed haec minime ad curam radicalem ſufficiunt; quod pariter de ueſicatoriis, cauteriis, fonticulis et ſetaceis obſeruandum; haec enim omnia fortius irritando, limphae ſtagnantis motum quidem promouent, non autem in ſpecie ſerum acre ſeu uiſcidum ex tota machina euacuando, catarrhos, uti multis perſuaſum, curant.

CXXI. Reſtat adhuc praecipuus et frequentiſſimus capitis morbus, qui cephalalgia dicitur, eadem uero capitis dolorem notat; operae igitur pretium erit, ut exactius doloris et anodynorum naturam examinemus.

CXXII. Dolor dicitur perceptio ingrata, ex nimia neruorum tenſione, diſſolutionem minitante, orta.

CXXIII.

CXXIII. A uario tenſionis neruorum gradu, uaria doloris ſpecies dependet; unde, quo tenſio in fibris maior eaeque rupturae propiores, eo uehementior dolor; quo minor uero tenſio et naturali conuenientior, eo remiſſior dolor generatur.

CXXIV. Omne igitur illud, quod talem praeternaturalem extenſionem in neruis excitat, dolorem tum in capite, tum in aliis partibus generat; ſi cauſa in ipſo capite haeret, dicitur cephalalgia idiopathica; ſin uero eadem in uentriculo, utero alioue uiſcere lateat, dolor capitis hinc proueniens, ſympathicus nuncupatur.

CXXV. Talem praeternaturalem extenſionem inducunt, 1) ea, quae uaſa nimis replent et diſtendunt, uti in plethora, obſtructione atque inflammatione, idem obſeruamus; 2) quae fortius irritant et uellicant, e. g. ſalia acria, particulae bilioſae ſero minus dilutae; 3) quae lacerant et rodunt, uulnera ſcilicet, materia purulenta, uermes; 4) quae ui neruoſas fibras diſtrahunt, ut luxatio, tumor, contuſio aliaeque iniuriae externae; 5) quae nimis contrahunt, ut auſtera et acida.

CXXVI. Haud ſuſcipienda cura palliatiua, ſi radicalis inſtitui poteſt; cura palliatiua eſt, ubi dolor, manente cauſa, tollitur;

hoc autem duplici modo peragitur, 1) neruo per uſtionem, diſſectionem, ſtupefacto, atque ad ſenſum inepto reddito; 2) ſenſorio communi, narcoticorum uſu, obtuſo.

CXXVII. His praeferenda medela, quae dolorem una cum cauſa tollit; hoc autem, ſi ille a nimia neruorum contractione et ſuccorum condenſatione proueniat, 1) laxando et remolliendo, 2) reſoluendo, perficiendum; prius iis, quae §. 50. cap. II. poſterius uero, iis, quae §. 89. cap. IV. allegantur, obtineri poteſt.

CXXIIX. Sin autem dolor a luxatione, tumore aut contuſione per uiolentam fibrarum diſtractionem ſit ortus, inaequalis illa tractio, parte luxata in priſtinum ſitum repoſita, et materia ſtagnante atque extrauaſata diſcuſſa, aufferenda.

CXXIX. Dolor, qui uulnera, eroſionem, roſionem a uermibus inductam ſequitur, indicat uulneris conſolidationem, et materiae purulentae uermiumque remotionem.

CXXX. Acre, quod fortius irritando, dolorem inducit, 1) leniendo et implicando, 2) diſcutiendo, et 3) euacuando, ſecundum ea, quae §. 197. ad 200. cap. III. §. 84. et ſequ. cap. IV. §. 110. et 111. cap. V. commemorantur, tollendum.

CXXXI.

CXXXI. Quando autem infarctus et nimia uaſorum repletio in culpa eſt, ſanguinis quantitas per uenae ſectionem minuatur; ſi uero uaſorum diſtenſio nimia a ſanguinis rarefactione dependeat, eorum, quae §. 47. cap. II. laudantur, ſubſidio, humorum orgaſmus ſedandus.

CXXXII. Ex his, quo applauſu, ſic dicta ſpecifica anodyna ſint ſuſcipienda, perſpicere poſſumus; anodyna uero dicuntur illa remedia, quae cauſam motus menti ingrati tollunt, aut illius perceptionem impediunt.

CXXXIII. Hoc autem uaria ratione, ſecundum uarias doloris cauſas modo allegatas peragitur; alias anodyna in paregorica, hypnotica et narcotica diuiduntur

CXXXIV. Paregorica dicuntur illa remedia, quae dolorem mitigant et minuunt, minuendo et remouendo doloris cauſam; et tunc illum titulum omnia ea promerentur, quae antecedentibus theſibus ſunt laudata.

CXXXV. Hypnotica uero ſunt, quae impediendo liberiorem ſucci neruoſi in neruos influxum, ſomnum procurant.

CXXXVI. Gradu ab hypnotico narcoticum differt, et fortius notat ſomniferum, quod magis liquidi neruei motum ſupprimendo,

mendo, non profundiorem modo ſomnum ſed ſtuporem quoque inducit, et ſaepius quoque relinquit.

CXXXVII. In horum exhibitione ſedulo obſeruanda Celsi (i) regula monentis, ut cautus ſit eorum uſus, ne, quem obdormire uoles, poſtea excitare non poſſis. Vberior de hypnoticis et narcoticis explicatio in fine doctrinae, ſenſus organa deſcribentis occurrit.

Capvt X.

DE SENSV, IISQVE, PER QVAE SENTIMVS, ORGANIS.

I.

VAria ſummus Architectus inſtrumenta conſtruxit, quorum miniſterio, quamdiu mens ſana in ſano corpore exiſtit, rerum externarum notitiam acquirimus.

II. Hinc oculos, hinc aures, nares, linguam ceteraque accepimus organa, quae omnis perceptionis medium conſtituunt.

III. Hi

(i) de Re Med. lib. 3. cap. 14.

III. His uero minime quaedam uis et facultas ſentiendi tribuenda, oculus enim non uidet, nec auris audit, ſed ea ſunt organa, per quae mens rerum externarum particeps redditur.

IV. Talem actionem mentis, ſenſum appellamus; ſenſus uero nihil aliud eſt, quam motus, quem obiecta organis ad hoc negotium deſtinatis imprimunt, perceptio et diiudicatio.

V. Inutilis et minus fundata eſt diſtinctio in ſenſus internos atque externos; omnis enim ſenſus in iſta mentis actione, qua factas obiectorum in organa impreſſiones apprehendit, perpendit, et uaria de illis ratiocinia format, conſiſtit.

VI. Nulli dantur ſenſus externi, uaria uero adſunt organa, a quibus diſtinctio in quinque ſenſus externos ortum duxit.

VII. Sed ille organorum numerus minus ſufficiens, deſiderantur hic ſitis, famis et ueneris inſtrumenta.

VIII. Quemadmodum ab illis diſſentimus, qui quinque ſenſus externos conſtituunt, ita nec eorum ſententiam noſtram facimus, qui unicum ſenſum externum, nempe tactum ſtatuunt, reliquos uero, uarias eſſe tactus ſpecies.

IX. Hoc quidem certum, praecipuam ſenſus cauſam, eſſe tactum, ſeu obiecti in organum operationem, minime uero facta in organo ab obiecto commotio, nec commotionis propagatio, ſed id demum, quod in mente exinde reſultat, ſenſus dicendus.

X. Optime autem et breuiſſime nos expediemus, ſi haec tria ſenſus requiſita conſtituamus, 1) obiectum, 2) organon, 3) mentem.

XI. Obiecta ſenſus, ſunt res quaeuis materiales, quae in organa deſtinata ita agunt, ut percipi queant.

XII. Actio obiectorum, in motione, quam oculo ceteriſque organis imprimunt, ut per neruos ad cerebrum deferantur, conſiſtit.

XIII. Sic dicta ſenſibilia, color, odor, ſapor, ſonus, acidum, amarum, dulce, frigus et calor, nihil aliud ſunt, quam uariae diſpoſitiones particularum corpora componentium, quarum uaria impreſſio et commotio uariae perceptionis, cogitationis et iudicii autor exiſtit.

XIV. Senſoria ſeu organa ſenſus, illas appellamus partes, quae motum ab obiectis impreſſum non recipiunt modo, ſed per neruos quoque ad cerebrum propagant.

XV. Or-

XV. Organa iſta uaria ſunt, et diuerſis conſtant partibus, inter quas extremitas nerui, uel in membranam, uel in papillas capitibus limacum ſimiles deſinens, proximum ſenſus inſtrumentum eſt.

XVI. Mens ſentit, quatenus uariis motionibus, ab obiectis in organis impreſſis, ac per neruos ad cerebrum delatis cogitationes uarias ex inſtituto diuino accommodat.

XVII. Ea uero, quae in ſenſu animaduertitur, uarietas, ab obiectorum atque organorum et motuum hinc reſultantium uarietate oritur.

XVIII. Difficile eſt enodatu, ubi ſit ſedes mentis, atque ubi ſentiat; cum uero per neruos ſentiat, probabile omnino eſt, illam partem, ex qua egrediuntur nerui, nempe cerebrum, eſſe ſenſorium commune; ex eo enim nerui per totum corpus ita diſtributi ſunt, ut ex eodem per neruos motus directi in muſculos propagentur, atque ad idem, tanquam ad centrum, motus etiam reflexi, ſeu organis ab obiectis impreſſi, per neruos fiant.

XIX. Omnis ſenſus fit per tactum; per eundem uero in ſpecie illa mentis actio intelligitur, qua motionibus uariis in papillas nerueas cutis factis, atque ad cerebrum per

neruos propagatis uarias cogitationes accommodat.

XX. Obiectum tactus, ſunt corpora quaeuis ſolida et fluida, aſpera et polita, grauia et leuia, frigida et calida, rotunda et longa, quae pro uaria, qua gaudent, magnitudine, numero, motu et ſitu, ac pro uario, quo applicantur, modo, uariae perceptionis cauſam conſtituunt.

XXI. Tactus organum, ſunt nerueae et pyramidales cutis papillae, quae in iis partibus, ubi leuior impreſſio, ad exactiorem perceptionem ſufficit, copioſiores reperiuntur.

XXII. Alia adſunt organa, quibus rerum ſaporem percipimus et diiudicamus, immediatum guſtus inſtrumentum, ſunt papillae nerueae linguae et palati.

XXIII. Obiectum guſtus, ſeu cauſa illius efficiens, ſunt ſalia, omniaque, quae ſale ſunt praedita.

XXIV. Quo puriora igitur ſalia, quo ſimpliciora, eo ſimplicior guſtus; quo magis uero eadem compoſita et cum aliis mixta, eo maior in guſtu uarietas deprehenditur.

XXV. Quia uero ſalia non agunt, niſi ſoluta, ſaliua continuo in ore ſecernitur, quae

hoc

hoc perficiat; ea enim deficiente, perit ſapor; ea corrupta, penitus ſapor immutatur.

XXVI. Olfactus, maximam cum guſtu habet conuenientiam; huius organum, eſt tunica narium papilloſa, ex fibris nerueis neruorum olfactoriorum contexta.

XXVII. Obiectum olfactus, ſunt omnes res, quae ſale et ſulphure gaudent, et mediante aere, uectore effluuiorum, ad papillas neruoſas narium appellentes, in illis certam commotionem excitant.

XXVIII. Aer, eſt uector effluuiorum ſalino-ſulphureorum, qui eadem recipit, et dum inſpiramus, ſecum ad nares defert; unde, quia idem a ſpatiis amplis narium ad anguſtiora fertur et compellitur, illa effluuia in maiori copia collecta ad papillas nerueas uiuidiori impulſu adigat, eoque motu per neruos ad cerebrum delato, illam perceptionem, quam odorem uocamus, pariat, neceſſe eſt.

XXIX. A uaria effluuiorum ſalino-ſulphureorum conſtitutione, uariaque eorum cum aliis mixtione et ſolutione, uaria papillarum neruearum in naribus commotio, et hinc uaria in mente apprehenſio et reflexio dependet.

XXX. Interior narium humiditas quantitate et qualitate bene conſtituta egregie olfactum adiuuare ſolet; nec parum impedit et deprauat eundem allegatus liquor uel deficiens, aut abundans, aut a bona et naturali recedens indole, uti in coryza tam ſicca, quam humida obſeruamus.

XXXI. Maior adhuc apparatus mechanicus in aure, auditus organo, occurrit; auris uero in externam internamque diuiditur, et multis cauitatibus eſt inſtructa, quo eo melius tremulus aeris motus colligi, atque ad interiora deferri queat.

XXXII. Auris externa conſtat auricula et meatu auditorio anteriore, quem membrana tympani claudit, atque ab aure interna diſtinguit.

XXXIII. Auris interna ex duplici cauitate eſt efformata, quarum anterior tympanum, ſiue capſa tympani, poſterior labyrinthus uocatur.

XXXIV. Auricula, eſt pars membranacea et muſculoſa, externe conuexa, interne concaua, uarios gyros atque anfractus cochleae inſtar, uarioſque monticulos atque inaequalitates uariis inſignitas nominibus exhibens, tremulo aeris motui colligendo atque ad aurem determinando inſeruiens; un-

de

de illi, quibus auricula reſecta, ſecundum Schenckii (k) obſeruationem, difficultate auditus laborant,

XXXV. Meatus auditorius, eſt tubus tortuoſus atque obliquus, oſſea et cartilaginea conſtans ſubſtantia, membrana neruoſa obductus, motui ſonoro concentrando atque ad tympanum transferendo deſtinatus.

XXXVI. His ſubſidiis, his uiis, tremulus aeris motus intra dictas partes receptus, reflexus et coaceruatus in tympani membranam impingit, et per eandem commotam ulterius propagatur.

XXXVII. Membrana tympani, eſt compages filamentorum neruoſorum tenuis, contractionis et remiſſionis capax, oblique meatum auditorium occludens.

XXXVIII. Pone tympani membranam cauitas petroſo oſſi inſculpta, quae concha interna, tympanum, tympani cauitas uocatur, ſita eſt, cui aerem congenitum tribuunt; in hac cauitate tria oſſicula, ſtapedem, malleum atque incudem, quibus praeter longum ſtapedis crus, os orbiculare dictum, adhuc duo alia, os lenticulare atque ouale Teichmeyervs (l) addit, inuenimus.

XXXIX.

(k) obſ. Med. lib. 1. de aure hiſtor. 331. (l) Anthropolog. cap. 41. p. 221.

XXXIX. Quo autem motus ſonorus ex illa cauitate ulterius ad labyrinthum propagari queat, non ſaltem oſſicula allegata ope muſculorum ita colligata, ut ad motum ſint aptiſſima, ſed duo quoque adſunt foramina, quorum alterum feneſtra oualis, alterum feneſtra rotunda appellatur.

XL. Praeter allegata duo foramina, alia duo adhuc in meatu allegato obſeruamus, quorum hoc cum ductu Euſtachiano communicat, illud uero in cellulas proceſſus maſtoidei abit; utrumque maſſae uiſcoſae expurgationi inſeruit.

XLI. Labyrinthus, eſt ultima auris cauitas, quae in principium, medium et finem diuiditur; principium illius, dicitur ueſtibulum, medium conſtituunt tres canales ſemicirculares, finis cochlea uocatur.

XLII. His omnibus de ſubſidiis motus per membranam ſubtiliſſimam a neruo acuſtico propagatam, quae tota fibrarum neruoſarum, tanquam zonarum ſonoriferarum, congeries uidetur eſſe, proſpectum.

XLIII. Haec omnia illum in finem conſtructa ſunt, et in hanc conſpirant actionem, ut tremulus aeris motus, mediante auricula, colligi, intro in meatum auditorium deferri, et membranam tympani comouere

queat,

queat, quae deinceps motum illum, oſſiculorum ſubſidio, per feneſtras et labyrinthum atque expanſam ibidem tunicam nerueam, neruosque huic inſertos, ad cerebrum propagat, et illam in mente perceptionem, quam ſonum dicimus, excitat.

XLIV. Obiectum auditus, eſt tremulus aeris motus, a corpore ſonoro commoto productus.

XLV. Corpora ſolida et liquida concipiendo et propagando motui ſonoro apta ſunt, et illum huc illuc diffundunt.

XLVI. Pro uaria corporum diſpoſitione, uaria illorum commotione, aeris temperie, et diuerſa organorum deſcriptorum habitudine, ſonus multum uariat, uariosque exſerit effectus.

XLVII. Echo, nihil aliud eſt, quam aeris repercuſſio, a concameratione tremulum aeris motum recipiente, et denuo repellente, proueniens.

XLVIII. Nunc quoque artificioſiſſimum, inter ſenſus inſtrumenta, oculus nempe, explicationem poſtulat; oculus, eſt pars rotunda, ex tunicis et humoribus, uitri inſtar pellucidis, conſtructa, in omnem partem, ope muſculorum, quos habet, mobilis, in orbita collocata.

XLIX.

XLIX. Partes oculorum in proprias et communes diuiduntur; communes ſunt, palpebrae, muſculi, cilia, ſupercilia, quae oculos ab externis iniuriis defendunt partim, partim iisdem in omnem partem mouendis conducunt.

L. Oculus ſex muſculos poſſidet, nimirum quatuor rectos, et duos obliquos; recti in duos adducentes et totidem abducentes diuiduntur, quorum officium eſt, oculum ſurſum, deorſum et ad latera ducere. Duo uero obliqui oculum circumuoluunt, unde iidem amatorii uocantur.

LI. Ad oculum quoque pertinent duplicis generis nerui, alii oculorum motorii, qui muſculis inſeruntur, alii optici ſeu uiſorii, per quos motus tunicae retinae ab obiectis impreſſus, ad mentem traducitur.

LII. Tunica tendinea et albuginea ad partes oculorum communes quoque referendae, quarum illa, ex concurſu tendinum a muſculis progredientium componitur, et uulgo innominata uocatur; haec uero, eſt propagatio pericranii, bulbum oculi cum orbita et palpebra ita laxe coniungens, ut commode moueri queat.

LIII. Partes propriae oculorum, ſunt tres tunicae et totidem humores; 1) exterior,

parte

parte anteriore, cornea, poſteriore, ſclerotica dicta, a dura cerebri matre ortum ducit, atque in uarias lamellas diuidi poteſt. 2) Vuea, piae matris ſoboles, in medio, foramine perforata, quod pupillam uocant, et cum ligamentis et proceſſibus ciliaribus cohaeret. 3) Retina uocatur, et eſt expanſio nerui optici, atque immediatum uiſus inſtrumentum coſtituit.

LIV. His tunicis tot humores pelluciditate et conſiſtentia differentes reſpondent; primus humor aqueus dictus, aquae conſiſtentia ſimilis ſimilem efficit refractionem, et continuo ex ſanguine per apices arterioſos ſeparatur, atque a poris uenarum reſorbetur.

LV. Alter humor, qui potius lentis nomen promeretur, cryſtallinus dicitur, atque ex aliquot millibus filamentorum a circumferentia ad centrum tendentium contextus, ac tunica arachnoidea inueſtitus, anterius conuexam, poſterius planam obtinet figuram, atque egregie uiſus rationes adiuuat.

LVI. Tertius, humor uitreus, quia uitri fuſi conſiſtentiam habet, appellatur; is tunica hylaoidea circumdatus, anteriore parte planus et poſtica ſphaericus, in ſinu ſuo lentem cryſtallinam complectitur.

LVII.

LVII. Immediatum uiſus inſtrumentum, eſt tunica retina, quae tanquam expanſio nerui optici radios uiſiuos ultimato recipit, eorumque impreſſiones ulteriu: per eundem neruum ad cerebrum propagat.

LVIII. Viſio non fit emiſſione radiorum ex oculo progredientinm, quae obſoleta eſ Pythagorae et Platonis ſententia, ſed receptione non imaginum, ſed radiorum ab obiectis prodeuntium, quae uel lumen ſpargunt, uel illapſum reflectunt, atque ad oculum iterum remittunt.

LIX. Oculus inſtar camerae obſcurae in uiſu ſe habet; tunicae oculi atro intus obductae liquore cameram conſtituunt; pupilla foramen eſt, per quod radii ingrediuntur; lens cryſtallina ſiſtit uitrum lenticulare, quod radios colligit, refringit et ulterius ad retinam transmittit; haec uero tunica chartae uel parietis munus, in quo radii figuntur, atque imagines quaſi repraeſentantur, obit; humor aqueus et uitreus tum debitum inter anteriorem et poſteriorem oculi partem interuallum efformant tum radiis uiſiuis refringendis atque ad tunicam retinam deferendis ſeruiunt.

LX. Obiectum uiſus, ſunt quaeuis res quae radios lucis uel emittunt, uel transmittunt

mittunt, uel reflectunt; illaque corpora, quae radios emittunt, lucida, quae radios transmittunt, diaphana aut pellucida, quae autem eos reflectunt, opaca uocantur.

LXI. Medium uiſus, lux eſt, undarum aetherearum aggregatum, quod radios ſubtiliſſimos per lineas rectas procedentes emittens et quaquauerſum diffundens obiecta illuſtrat; ita, ut in oculis certam commotionem excitare queant.

LXII. Inanis eſt diſtinctio inter colores reales atque apparentes; color enim nihil aliud eſt, quam lumen in ſuperficiebus corporum uarie modificatum, ſeu refractum, atque ad oculos reflexum.

LXIII. Hinc in ſic dictis corporibus coloratis nihil aliud deprehendimus, quam aliam atque aliam particularum diſpoſitionem, figuram et magnitudinem, a qua uaria luminis refractio, refracti ad oculum reflexio, quam uaria filamentorum tunicae retinae commotio, et uaria in mente perceptio ſequitur, dependet.

LXIV. Famem, ſitim, deſiderium coeundi, multi quoque ad ſic dictos ſenſus externos referunt, ſed hic non ſolam perceptionem, ſed perceptionem cum certa determinatione coniunctam obſeruamus; non

enim hic ſaltem mens impreſſionem in papillis nerueis uentriculi, oris et partium genitalium excitatam percipit et diiudicat: ſed ea idem in ſpecie, quod corpori congruum arbitratur, deſiderat.

LXV. Ita Fames, perceptionem deficientis nutrimenti, et hanc ſequentem cupiditatem capiendi alimenta ad deficientes ſuccos reparandos neceſſaria, a ſtimulo motuque uentriculi excitatam ſignificat.

LXVI. Sitis autem, eſt perceptio praeſentis in ore ariditatis et deficientis ſeri, cum deſiderio potus, praeſertim frigidi, ſimplicis aut acidi coniuncta, a tunicae nerueae, quae gulam, fauces atque interiora oris obducit, irritatione fortiore producta.

LXVII. Veneris deſiderium, tum a fortiore impreſſione et facta de ſubiecto eleganti reflexione, quanquam non adſit ſufficiens in corpore ſtimulus; tum a maiore partium genitalium irritatione, licet nullae libidinoſae cogitationes anteceſſerint, excitatur.

LXVIII. Quam intimum mentis cum corpore ſit commercium, luculenter hinc uidemus; nec hoc ex illis obſcurum eſſe poteſt, quod, quamuis intellectus et uoluntas, actiones mere immateriales, menti ſa-

ter-

tem competant, illae tamen a corporis uitio ſaepe etiam labem patiantur, uti exemplo deliriorum ſympathicorum, quae febrem, obſtructionem menſium, aliosque corporis morbos ſequuntur, demonſtrari poteſt.

LXIX. Intellectus, eſt illa mentis functio, qua ea, quae percepit, examinat, cum aliis confert, diiudicat, et hoc modo, uerum a falſo, opinionem a ſcientia, ſuppoſitionem a ueritate diſcernit.

LXX. Voluntas eſt mentis determinatio, perceptionem atque intellectum ſequens, qua iis, quae nobis grata uidentur, inhiamus, illa uero, quae aduerſa, repudiamus atque auerſamur; poſterius in ſpecie odium uocatur.

LXXI. Quo igitur illa, quae nobis neceſſaria, non ipſimet ſaltem quaerere, ſed aliis quoque, ut nobis ſuppetias ferant, indicare, Deum laudare, aliosque inſtruere queamus, loquela nobis conceſſa.

LXXII. Loquela, eſt uoluntaria hominis ſani actio, qua ſuas cogitationes et conceptus articulata uoce indicat.

LXXIII. Cauſa primaria loquelae, eſt certa mentis determinatio; ſubſidium uero, quo

quo idem perficitur, ſunt uariae tum thoracis, tum oris et faucium partes, quae reſpirationi partim, partim modificationi uocis inſeruiunt.

LXXIV. Cum folle dehinc, qui aerem inſtrumento muſico, pro excitando ſono ſubminiſtrat, pulmo una cum ceteris reſpirationis organis comparatur.

LXXV. Labia autem, linguam, dentes, buccam, palatum, uuulam laryngem una cum ſuis muſculis eſſe illa inſtrumenta, quae uoci modificandae conducnnt, uaria loquela, ex diſcrepante illarum partium conſtitutione uarioque uſu proueniens, dilucide probat.

LXXVI Imo hiſce partibus corruptis, atque earum functione impedita, uox deprauatur aut penitus auffertur, uti illi, quibus, uuula eroſa, aut lingua paralyſi affecta, quam aphoniam dicunt, accidit.

LXXVII. Si mentis noſtrae cogitata concinno ſermone proferre geſtimus, liberum ſenſuum et motuum exercitium, quod uigilias dicimus, debet adeſſe.

LXXVIII. Quemadmodum uero ab aequali neruorum et uaſorum ſanguiferorum preſſione, aut aequilibrio, quod inter ſucci neruei et ſanguinis motum intercedit, uigiliae

giliae dependent, et agrypnia a ui elaſtica neruorum ſuperante preſſionem ſanguinis excitatur, ita ſomnus a remittente neruorum, ob ſufficientis liquidi defectum, tono et flacciditate inducitur.

LXXIX. Somnus, eſt requies totius corporis, in ſpecie organorum ſenſui motuique uoluntario ſeruientium, ab inſufficiente ſucci appropriati in neruos influxu dependens.

LXXX. Quo magis igitur ſucci neruei influxus diminuitur, eo diutunior, eo profundior eſt ſomnus; hinc, quae ſit cauſa proxima affectuum ſoporoſorum, quae eorum medela, cognoſcimus; quod prolixius iam cap. IX. §. 66. et ſequ. explicatum.

LXXXI. Ita pariter, quae agrypniae cauſae, quae antidota, paucis eodem capite §. 89. et ſequ. indicauimus; reſtat, ut breuem eamque perſpicuam hypnoticorum deſcriptionem adiungam:

LXXXIII. Hypnotica, ſunt omnia remedia, quae tollendo, aut mitigando, uel ſupprimendo cauſas uigiliarum, ſomnum inducunt.

LXXXIII. Cauſae peruigilii uariae, uaria hinc hypnotica, ſi rationem ſequi uolumus, conſtituenda.

 LXXXIV.

LXXXIV. Ante omnia conſiderandum an agrypnia ſit alterius morbi ſymptoma aut morbus eſſentialis; ſi enim aliam comi tatur infirmitatem, iisdem, quae morbu primarius requirit, remediis curabitur; i idiopathicae autem medela, peculiares cau telae conſiderandae.

LXXXV. Agrypnia idiopathica, ab ani mi pathematibus, aut conſuetudine, ue naturali eaque maiore neruorum rigiditat et ſuccorum tenuitate atque acrimonia ge neratur.

LXXXVI. Congrua itaque hypnotica ſunt ea, quae mentis reſtituunt tranquilli tatem, fibris frequenti uigilandi conſuetu dine nimis oſcillantibus quietem concilian neruos nimis rigidos relaxant, et acrimoni am temperant.

LXXXVII. Nulla, his euictis, hypnot ca uniuerſalia et tuta proſtant, quae cuiui aegroto, ad ſomnum inducendum, ſuffice rent et conducerent.

LXXXVIII. Opium atque alia, quae e illo parantur, ſunt remedia, quae ope ſua ſubſtantiae oleoſae et gummoſae, qua d ctum medicamentum abundat, in ſuccoru tenuitate atque acrimonia implicanda, et ſ dandis, qui exinde orti fuerunt, ſpaſm et conuulſionibus conueniunt.

LXXXI

LXXXIX. Quo minus enim credamus, illud, eſſe nepenthe, in omnibus agrypnia laborantibus ſufficiens, docet Charas, qui, uti in *Tractatu meo, de ſomno, praeſtantiſſimo ſanitatis et morborum praeſidio*, c. 19. p. 151. indicaui, tota drachma opii crudi deuorata, ne per momentum quidem dormire potuit. Imo eadem remedia, ſaepius incongrue uſurpata mortem adduxerunt.

XC. Eo magis igitur illa fugienda erunt, quae narcotica dicuntur, qualia ſunt, hyoſcyami flores, poma, folia, et radices, poma aurea ſolani, ſemen ſtramonii; haec enim ſomnum in mortem abeuntem cum tetano inducunt; aut ſi reſtituantur, nerui atque actiones mentis maximam patiuntur iniuriam.

XCI. Ita multi hac methodo in periodicam mentis abalienationem et ſtupiditatem inciderunt; aliis hac ratione uis uidendi, aliis uis audiendi periit.

XCII. Multis ex adductis remediis ineſt uenenum fortiter adſtringens atque obſtruens; unde principium neruorum illiusque propagines obturantur, adeoque obſtructo neruo optico, coecitas, et laeſis aliis neruis aliarum functionum deprauatio aut abolitio.

XCIII. Omnes quidem partes, quae oculum aliaque ſenſus oragna conſtituunt, ad ſenſum perfectum neceſſariae; aliae autem aliis hic praeſtantiores et magis neceſſariae de-

prehenduntur, unde pro uaria partium laeſarum natura, et laeſionis modo, organorum iſtorum actiones modo deprauantur, modo imminuuntur, modo penitus tolluntur.

XCIV. Idem ſtatus in morbis oculorum deprehenditur; de illis igitur primum agendum, qui uiſum deprauant, tales ſunt, ſtrabiſmus, μυωπία, νυκταλωπία, μυδρίασις.

XCV. Strabiſmus, eſt ſpaſmus muſculorum oculos mouentium, ab inaequali ſucci neruoſi influxu aut fibrarum contorſione dependens.

XCVI. Si ſequatur ſpaſmum aut paralyſin, ea, quae Cap. IX. §. 63. et ſeq. 107. et ſeq. adducta ſunt, obſeruentur; ſtrabiſmus uero haereditarius, atque ille, qui ex mutato lentis cryſtallinae ſitu ortum ducit, nullam admittunt medelam.

XCVII. In infantibus autem, ſi adſit aut immineat metus ſtrabiſmi, illud agere debemus, ut in parte aduerſa imagines aliasque res colorum praeſtantia ſe commendantes collocemus, eoque ipſo per conſuetudinem illos eo perducamus, ut diſcant a praua uiſione abſcedere.

XCVIII. De Νυκταλωπίᾳ autores inter ſe non conueniunt, alii enim cum Hippocrate (m) et Galeno (n) per illam, illud oculorum

(m) lib. 2. prorrhet. §. 41. (n) in defenſ. Med. in Iſag. c. 16.

lorum uitium, ubi homines noctu melius, quam interdiu uident, intelligunt; aliii uero cum Foesio (o) et Cvmmeno (p) nocturnam coecitatem appellant.

XCIX. Μυωπία, eſt uiſus debilitas, ubi obiecta, non niſi proxime admota cognoſci poſſunt.

C. Μυδρίασις nimiam pupillae dilatationem a circuli arachnoidis ruptione ortam, quae uiſus deprauationem comitem habet, ſignificat.

CI. Iisdem morbis uidendi acies hebeſcit; plures uero adhuc reſtant, qui ad claſſem uiſus diminuti pertinent; tales ſunt, amblyopia, epiphora, rhyas, encanthis, fiſtula lachrymalis, aegylops, ophthalmia, unguis ſeu πτερύγιον, pannus, ſugillatio ſeu ὑπόσφαγμα, πύωσις, hydrothalmia, botryon, argemon, epicauma, λευκῶμα, ὀμίχλη, νεφέλιον, cancer oculorum, πρόπτωσις, μυοκέφαλον, ςαφύλωμα, μῦλον et ἧλος.

CII. Epiphora, quae Celso lippitudo audit, eſt inuoluntaria ſeri acrioris et copioſi ex glandulis lachrymalibus profuſio, cum et ſine inflammatione, a dictarum partium nimia relaxatione uel irritatione excitata.

(o) p. 436. (p) Ephemer. Nat. Cur. obſ. 133.

CIII. Rhyas, carunculae lachrymalis in maiori oculi cantho collocatae imminutio, continuum lachrymarum effluxum comitem habens, atque ab eroſione proueniens, dicitur.

CIV. Encanthis econtra, eſt carunculae lachrymalis intumeſcentia, modo benigna, modo maligna, ab uberiore ſuccorum ſtagnantium affluxu excitata.

CV. Aegylops ſeu anchylops, eſt carunculae lachrymalis in cantho maiori oculi exiſtentis exulceratio.

CVI. Ab hoc ulcere ulterius proſerpente atque interiora erodente, fiſtula lachrymalis generatur; haec uero notat ulcus profundum, anguſtum, inueteratum, et ut plurimum intus membrana aut callo obductum, cum ichoris effluxu coniunctum.

CVII. Ophthalmia quosuis in genere oculorum affectus ſignificat; in ſpecie autem per eandem inflammatio tunicae adnatae, ab impedito per eandem ſanguinis circulo orta, intelligitur.

CVIII. Pterygium, eſt excreſcentia membranoſa, tunicae oculi adnatae affixa, a magno oculi cantho ad nigrum, et interdum ad pupillam extenſa, a particulis uiſcidis extrauaſatis et concretis genita.

CIX

CIX. Pannus, denotat ſubſtantiam carnoſiorem et rubicundam, tunicae oculi adnatae praeter naturae leges accretam, totum oculum obtegentem, ex fibrarum ſanguinis extrauaſati combinatione productam

CX. Sugillatio ſiue ὑπόσφαγμα, eſt macula rubra ſeu liuida oculi, a ſanguine e uaſis ſuis profuſo et ſtagnante exorta.

CXI. Pyoſis, quae etiam lunella atque hypopyon dicitur, eſt puris ſub tunica cornea, uel inter illam et uueam collectio, a ſuccorum extra uaſa haerentium ſuppuratione proueniens.

CXII. Hydropthalmia, eſt tumor oculorum aquoſus, ab uberiore ſeri ſecretione et ſtagnatione dependens.

CXIII. Botryon, quod alias alueolos, in quibus dentes ſubſiſtunt, ſignificat, eſt ulcus exiguum et profundum tunicae corneae.

CXIV. Argemon, eſt ulcuſculum oculi, iridis circulum occupans, extra iridem rubicundum, intra uero, candidum apparens.

CXV. Epicauma, eſt cruſtoſa exulceratio, nigro oculorum eueniens.

CXVI. Leucoma, eſt cicatrix alba, in cornea oculi tunica ab ulcere relicta.

CXVII.

CXVII. Nebula, quae ὁμίχλη et σκότος uocatur, minorem et ad latera oculi declinantem, adeoque uiſui minus officientem cicatricem, albuginem tenuem dictam, denotat.

CXVIII. Huc nonnulli quoque referunt craſſitiem tunicae corneae, quae nihil aliud eſt, quam obſtructio atque infarctus pororum tunicae corneae; unde illi, qui hoc affectu laborant, quaſi per fumum obiecta intueri uidentur.

CXIX. A nebula alii νεφέλιον diſtinguunt, et per idem minimam a cicatrice relictam tunicae corneae mutationem intelligunt; alii uero, ὀμίχλην et νεφέλιον unum idemque eſſe, affirmant.

CXX. Cancer oculorum, eſt tumor uiſu foedus; in quo uaricis inſtar, uaſa turgent et prominent, cum atrociſſimo dolore coniunctus.

CXXI. Procidentia ſeu πρόπτωσις oculi, eſt bulbi oculi e ſede ſua, per ictum, ſtrangulationem et aliam ſimilem uiolentam cauſam, dimotio.

CXXII. Myocephalum, eſt tunicae uueae prolapſus, muſcae caput magnitudine aequans, a ſciſſura, uulnere uel eroſione ſcleroticae proueniens.

CXXIII.

CXXIII. Staphyloma, prolapſum tunicae uueae, antecedente maiorem, acino ſimilem, ſignificat.

CXXIV. Ille denique tunicae uueae prolapſus, qui palpebram excedit, μῦλον appellatur.

CXXV. Clauus ſiue ἧλος, eſt calloſum in albo oculi tuberculum, a prolapſu tunicae retinae inueterato excitatum.

CXXVI. Tot modis laeditur atque imminuitur uiſus, imo ſaepius penitus auffertur; reſtant tamen adhuc alii oculorum morbi, qui ordinario coecitatem comitem habent.

CXXVII. Gutta ſerena, alias ἀμαύρωσις dicta, eſt uiſus abolitio, quae ceteris oculorum partibus optime conſtitutis, a nerui optici obſtructione aut compreſſione ortum ducit.

CXXVIII. A his differt ὑπόχυμα ſeu cataracta, quae laeſam naturalem tunicarum pelluciditatem, ab humore ibidem concreto ortam ſignificat.

CXXIX. Si pupilla, ob ſubſtantiam ſubtus enatam, colorem uirideſcentem, aut marino ſimilem obtinet, cataracta uiridis uulgo appellatur.

CXXX.

CXXX. Quando autem pupilla ab alba uiſcidaque materia penitus obſtructa atque obducta eſt, cataracta alba uel lactea dicitur.

CXXXI. Fabrica oculi explicata, natura morborum deſcripta, et materiae peccantis origo, quid hic factu opus ſit, et quid praxis medica et chirurgica perficere queat, ob oculos ponunt.

CXXXII. Alii enim horum ita ſunt comparati, ut nullam penitus medelam admittant, quales ſunt *ϛαφύλωμα*, *μῦλον*, fiſſurae aliaeque lentis cryſtallinae laeſiones; alii difficillimo negotio et perraro curantur, u. g. gutta ſerena, ſuffuſio, ſtrabiſmus; aliis facilius ſuccurri poteſt, non tamen hic ſpecifica ophthalmica, ſed ordinaria, quam ſaepius commendaui atque inculcaui, methodus medendi, neceſſaria.

CXXXIII. Ophthalmicum, omne illud dicendum, quod tollendo cauſas oculorum partes laedentes, et conſeruando bonam earum conſtitutionem, actionem uiſus tuetur. Hoc modo ſaepius purgantia, diaphoretica, decocta lignorum, optima ſunt ophthalmica; eadem autem non raro maximam oculis iniuriam inferunt.

CXXXIV. In nerui optici obſtructione et hinc generata gutta ſerena ualdopere a

Capivaccio ſternutatoria, atque ab aliis ptyaliſmus commendantur; ſed allegata remedia his uiſum reſtituerunt, illis uero, uti plures obſeruationes docent, ademerunt.

CXXXV. Hominum rationem non ſequentium figmenta ſunt, ſpecifica ὀξυδερκικὰ, ſeu uiſum acuentia, qualem uirtutem nepethae, euphraſiae, uerbenae, chelidonio, fumariae, floribus roſarum, liliorum alborum, rorismarini, ſaluiae, radici ualerianae, helenii, ſemini aniſi, foeniculi, multi tribuunt.

CXXXVI. Multo minus humana arte panacea ophthalmica praeparari poteſt, atque inanis erat Bvrrhi iactatio, qui in litteris ad Bartholinvm datis, ſe aquam ophthalmicam, cuius ope, quibusuis oculorum morbis ſuccurrere, atque omnibus coecis uiſum reſtituere poſſet, poſſidere, gloriabatur.

CXXXVII. Nec credas, dari remedia ſpecifica externa, quia eadem immediate oculis applicari poſſunt; nam haec remedia hic eodem, quo in alia parte, modo, operantur, nempe pro uaria particularum diſpoſitione, abſtergendo, exſiccando, reſoluendo, aperiendo, laxando, atque adſtringendo; unde collyrium, quod huic profuit, illi nocet.

CXXXVII.

CXXXVIII. Hoc praeſertim exemplo aquae frigidae, quam ad bonum oculorum ſtatum quam diutiſſime conſeruandum multi commendant, atque ut eadem, oculi, tempore matutino, abluantur, poſtulant, demonſtrare uolunt; ſed iisdem ignotam eſſe Hildani (q) obſeruationem iudico, qui refert, quod uir nobilis, cui mos erat iam diu receptus, tempore matutino oculos aqua frigida abluere, ſibi uiſus obſcurationem, et deinceps inflammationem accerſiuerit.

CXXXIX. Specifica ophthalmica, ſunt perſpicilla, quae oculi hebetudini ſuccurrunt; in oculorum uero inflammatione, ulcere, tumore, aliisque, tum ſuccorum, tum tunicarum uitiis, ad ſanguinem et primas uias reſpiciendum, et ea, quae in illorum morborum cura commendata, hic ſedulo obſeruanda; cumprimis topica acria in oculorum affectibus fugienda, quae rigidiori et neruoſae oculorum compagi haud conducunt.

CXL. Eodem modo in curandis aurium morbis procedendum; uarias autem illorum habemus ſpecies, alios externos, alios internos; alios, qui auditum deprauant atque imminuunt, alios qui eundem penitus tollunt.

CXLI.

(q) Obſ. Chirurg. Cent. 1. obſ. 27. p. m. 96.

CXLI. Inter eos primum occurrunt parotides, quae tumores duros, dolentes et contumaces, cum et ſine inflammatione, a ſuccorum in glandulis pone aures ſitis ſtagnatione prouenientes denotant.

CXLII. Tumores illi, qui pone aures ſitum habent, in benignos, qui febri, inflammatione et aliis grauibus ſymptomatibus deſtituuntur, et malignos, qui cum inflammatione et peruigilio coniuncti febrem acutam comitantur, diſtinguuntur.

CXLIII. Parotis benigna eo curanda modo, quo tumorem, obſtructionem atque empyema auferendum eſſe, cap. VII. §. 59. et ſequ. indicauimus.

CXLIV. In parotide maligna, tum febris, tum inflammationis habeatur ratio, atque ea, quae. §. 94. §. 110. et 111. §. 123. et ſequ. cap. V. §. 70. et ſequ. cap. VII. adducta, ſedulo obſeruentur.

CXLV. Otalgia, eſt perceptio motus praeternaturalis, a nimia fibrarum neruoſarum auris extenſione excitati, quem dolorem dicimus.

CXLVI. Praeſens morbus, ut plurimum inflammationis, ulceris, uermium, ceruminis aurium acrioris, rerum forinſecus illapſarum ſymptoma eſt, unde iisdem abi-

 gendus

gendus erit dolor, quae ad curam inflammationis et ceterorum morborum, cap. VII. §. 1. ad finem, et cap. III. §. 152. et ſequ. praeſcripta.

CXLVII. Interdum excreſcentia carnea uel ſpongioſa, aut membrana praeternaturaliter accreta, obſtruendo meatum auditorium, βαρυκοΐαν parit; in quo ſtatu, ſi excreſcentia filo comprehendi poteſt, conſtringenda, quae deinceps exſiccata cum filo excidet. Sin uero hoc non procedat, inciſione, tum excreſcentia, tum membrana, hac quidem circumſpectione, ne tympanum laedatur, remouenda.

CXLVIII. Si tumor a catarrho proueniens in aure incommodum creat, reſoluendo, diſcutiendo, purgando, ſecundum ea, quae cap. IX. §. III. et ſequ. commendata, idem tollendus.

CXLIX. Nec alia requiruntur ſubſidia, ſi a ſeri uberiore affluxu membrana tympani, uel ligamenta, aut muſculi oſſicula auris connectentes nimis relaxati difficilem reddunt auditum.

CL. Quando uero tympanum ceteraeque partes nimis tenſae et plus iuſto exſiccatae incommodum creant, lac tepidum, oleum amygdalarum dulcium, decocta infuſaque

fuſaque herbarum emollientium, inſtillata, aut uapor ſaltem per infundibulum admiſſus, iuuant.

CLI. Rupta atque exeſa tympani membrana nulla arte reſtitui poteſt; hinc ſurditas exinde proueniens nullam admittit medelam; fides itaque hiſtoriarum, quas Riolanvs, (r) Horstivs (s) et Willisivs (t) de ſuperſtite, poſt diſciſſam atque eroſam membranam tympani, auditu, afferunt, ſit penes Autores.

CLII. Eadem, ſi non maior, difficultas, in ſurditate, nerui acuſtici obſtructionem, compreſſionem, interioris cauitatis inflammationem atque exulcerationem ſequente occurrit.

CLIII. In ea uero auditus difficultate, quae collectas in capſa ſordes, et obſtructos meatus in palatum abeuntes ſequitur, apophlegmatiſmi et maſticatoria acria conueniunt.

CLIV. Auditus deprauati ſpecies eſt ſonitus et tinnitus aurium, ille uero nihil aliud denotat, quam tremulam neruorum acuſticorum agitationem, ab irritatione fibrarum neruoſarum ortam.

(r) Enchirid. Anat. l. 4. c. 4. (s) lib. 9. obſeru. 8. (t) de Anima brutorum Part. I. cap. 14.

CLV. Sedes huius mali iam cerebrum, iam auris; nunc uentriculus, nunc inteſtinum rectum; materia peccans modo ſanguis, modo cerumen aurium; nunc uermes, nunc maſſa uiſcoſa aut acris; unde nunc topica auri inſtillata ſufficiunt, nunc purgantia omnem paginam abſoluunt; modo uenae ſectio, modo ſudoriferum prodeſt; iam temperantia, iam reſoluentia praeſcribenda.

CLVI. Idem quoque deſideramus, idem commendamus in coryza, narium haemorrhagia, ozaena, polypo, ſarcomate, macula rubra, uerrucoſitate, carcinomate et aliis naſi morbis.

CLVII. Coryza ſeu grauedo, eſt maſſae uiſcoſae aut limphae tenuis atque acris in pituitaria narium membrana ſtagnatio, coaceruatio et excretio, uel a mala ſeri quantitate aut qualitate dependens.

CLVIII. Diſtinguitur coryza in ſiccam et humidam, frigidam et calidam; ſiccae origo uel ab obſtructione, aut ſeri defectu, humidae uero, a relaxatione et limphae abundantia deriuanda; frigidae fundamentum, in maſſae uiſcidae, calidae econtra, in ſalis acris exceſſu conſiſtit. Horum omnium cura, in eorum, quae in catarrhis cap. IX. §. 109. et ſequ. commendauimus, conuenienti applicatione conſiſtit.

CLIX.

CLIX. In coryzae medela ſic dicta errhina et ptarmaca praecipue laudantur; haec uero non promiſcue uſurpanda ſunt, quia in catarrhis acribus ptarmaca, fortius ſtimulando, malum exaſperant.

CLX. Diſtinguuntur errhina a ptarmacis, et per errhina, ſiue naſalia, illa intelliguntur remedia, quae particulis ſalinis temperatis inſtructa, leniter ſtimulando, expediendis et reſerandis uaſis narium muciferis conducunt; tale errhinum, eſt uitriolum album, quod doſi paucorum granorum in aqua fontana uel maioranae ſolutum et cum turunda applicatum, uel inſufflatum, obſtructiones leuiores reſoluit.

CLXI. Ptarmaca autem, ſiue ſternutatoria, ſunt remedia ſale uolatili acriore praedita, quae fibras neruoſas narium uehementius uellicando, ſuccos in membrana pituitaria contentos cum ui et impetu euacuant; talia ſunt puluis radicis hellebori nigri cum aequali ſachari quantitate, puluis et ſuccus maioranae, ſaluiae, betonicae, liliorum conuallium, herbae nicotiannae, ambrae, caſtorei et uarii generis puluercs ex his aliisque compoſiti.

CLXII. Conducunt haec remedia ad maſſae uiſcoſae in naribus haerentis et membranam pituitariam obſtruentis reſolutionem

nem atque excretionem; parcior uero et rarus eorum debet eſſe uſus; qui eadem quotidie, uti quibusdam in more eſt, adhibent, nimis irritando, neruorum ariditatem, pertinacem obſtructionem atque eroſionem inducunt. Dehinc illa remedia in affectibus oculorum, ulceribus narium, haemorrhagiis, morbis pulmonum, hernia, nephritide, plethora, atque in grauidis omnino fugienda.

CLXIII. Haemorrhagia narium notat ſanguinis ex uaſis naſi profluuium, a uaſorum ruptione, aut nimia pororum ſecretoriorum dilatatione proueniens.

CLXIV. Cauſa huius profluuii, eſt uel externa, uel interna; externe ſaepius lapſu, contuſione, acrium applicatione, acutorum intruſione, crinium in naribus haerentium euulſione, laeduntur uaſa ſanguifera, quae conuenientibus uulnerariis denuo conſolidanda, et ſi leniora adſtringentia non ſufficiunt, et continua ſanguinis profuſio periculum minatur, fortiora, nempe alumen uſtum, uel uitriolum uſtum cum albumine ouorum, conueniunt.

CLXV. In haemorrhagia narium, quae ſanguinis orgaſmum, abundantiam, acrimoniam, inaequalem circulationem, ſtagnationem ſequitur, minime externa adſtrin-

ſtringentia, ſed illa adhibenda ſunt remedia, quae ad curam allegatorum malorum in antecedentibus capitibus praeſcripſi.

CLXVI. Ozaena, eſt ulcus foetidum et ſordidum narium, pus acre et liuidum fundens.

CLXVII. Non omnis exulceratio narium ozaena dicenda, ſed illa ſaltem, quae grauioribus doloribus ſtipata pus acre et liuidum fundit, ac luis uenereae ſymptoma eſt.

CLXVIII. In ozaena igitur, ea obſeruanda ſunt, quae in luis uenereae cura, cap. VI. §. 54. et ſequent. propoſui; praeter haec, melle roſarum aqua plantaginis ſoluto, atque in nares iniecto, ulcus abſtergendum, et puluere mirrhae atque ariſtolochiae ſiccandum; et ſi haec non ſufficiant, ad mercurii ſublimati uſum confugiendum, qui ad grana quinque uel decem, cum melle roſarum ſubactus, forma linimenti, adhibendus.

CLXIX. Polypus narium, eſt excreſcentia carnoſa et fibroſa, exilibus radicibus, tanquam pedibus, naſi interioribus adhaerens.

CLXX. Sarcoma narium, ſiue hyperſarcoſis, eſt excreſcentia carnoſa et globoſa, lato principio naribus affixa.

CLXXI. Hae excreſcentiae ſunt effectus male curati ulceris, et haud raro adiunctam habent malignitatem; unde ferro et medicamentis acrioribus exaſperantur, nec niſi blandioribus topicis, nimirum recenti roſarum unguento, aut alio ſimili, quod oleum uitelli ouorum, tutia praeparata, ſacharum ſaturni, ſperma ranarum et parum mercurii uiui ingrediuntur, mitigatur.

CLXXII. Facilius hae excreſcentiae, ſi benignae, tolluntur adſtringentium et ſiccantium minus acrium ſubſidio, quae ex puluere corticum granatorum, foliorum ſabinae, polypodii, aqua ſtillatitia uuarum immaturarum, confici atque inſpergi et iniici poſſunt.

CLXXIII. Verrucoſitas narium, denotat copioſas uerrucas externam narium ſuperficiem occupantes.

CLXXIV. Coſſum, cuius Paracelsvs facit mentionem, eſt apoſtema narium ualde urens, quod fricatum cruſtam ponit, et per longius temporis ſpatium, quandoque per annum, perſeuerat.

CLXXV. Carcinoma narium a cancro aliarum partium non differt, et excreſcentias narium male curatas ſequitur, quae igitur ad illius deſcriptionem et curam neceſſaria.

ceſſaria, ex §. 50. et ſequ. et §. 92. ac ſequ. cap. VII. petenda.

CLXXVI. Nunc paucis quoque perquirenda illius organi, cuius ſubſidio guſtamus et loquimur, uitia; ex eorum catalogo ſunt, odontalgia, parulis, epulis, aphthae, ranula uel ranunculus, linguae paralyſis et conuulſio, prolapſus palati, tumor, inflammatio atque ulcus tonſillarum et uuulae, angina, raucedo, ſpaſmi et paralyſis totius colli.

CLXXVII. Odontalgia, quam STROBELBERGERVS dentagram appellat, eſt aduerſa ſenſatio diſtenſionis, preſſionis, caloris aut frigoris, in alueolis dentium eueniestis, a praeternaturali neruorum commotione dependens.

CLXXVIII. Doloris dentium et capitis una eademque eſt cauſa proxima, eaedem cauſae antecedentes atque externae, eadem methodus medendi, atque eadem hinc remedia, quae §. 122. et ſequ. cap. IX. inueniuntur, adhibenda.

CLXXIX. Praeterea, ſi dens carioſus in culpa ſit, idem extrahatur, alias dolor nunquam ex fundamento curabitur; imo dehinc fiſtula et reliquorum dentium corruptio imminet.

CLXXX. In topicorum, quae dentibus

 carioſis

carioſis applicamus, uſu, materiae peccan-
tis indoles examinetur, ſi enim uiſcida, re-
ſoluentia, u. g. oleum caryophyllorum
goſſypio exceptum, fruſtulum caſtorei;
ননbilioſa, parum aluminis, nitri, lapidis pru-
nellae, conueniunt; et ſi his incaſſum adhibi-
tis, ad pilulas ex opio confectas confugis,
aegroto ſerio inculcandum, ne easdem ex
incuria deglutiat.

CLXXXI. Quo autem dentes in bono
conſerues ſtatu, ac illorum cariem, nigre-
dinem, incruſtationem, haemodiam prae-
caueas, illi tempore matutino aqua ſaluiae
mundificandi, et puluere ex cremore tartari
et radice ireos florentinae abſtergendi, et
hic labor tum a coena, tum a prandio re-
petendus erit.

CLXXXII. Parulis, eſt gingiuarum, cum
uel ſine ſubſequente ſuppuratione, inflam-
matio, a ſanguinis ſtagnatione proueniens.

CLXXXIII. Epulis, eſt excreſcens et lu-
xurians gingiuarum caro, quae ſenſim au-
cta dentes obtegit, et ſermonem ac maſti-
cationem impedit.

CLXXXIV. Hic toti corpori per pur-
gantia ac diaphoretica accommodata pro-
ſpiciendum partim, partim caro luxurians,
ſi comprehendi poteſt, liganda, et eadem
delapſa,

delapſa, puluis gallarum, aut aluminis uſti nſpergantur.

CLXXXV. Aphthae, eſcharas leuiores in ſummitate puſtularum oris efflorefcentes partim, partim ulcuſcula oris admodum caua, ſubalbida, interdum liuida, nigra et maligna ſignificant.

CLXXXVI. Ex his, in quo diſcrimen aphtharum benignarum et malignarum conſiſtat, perſpicimus; benignae, ſunt ſaltem eſcharae quaedam, hinc albae, ſuperficiariae atque indolentes; malignae uero, ſunt profundae, ſordidae, liuidae, et cum ardore aliisque doloris ſpeciebus erodentes.

CLXXXVII. Benignae infantibus admodum familiares ſunt, et correcto uel mutato lacte, uſu ſyrupi de cichoreo cum rhabarbaro et pulueris marchionum, ſi partes aphthis obſeſſae prius aqua ſaluiae, in qua mel roſarum et perpaucae guttae ſpiritus uitrioli ſolutae, abſterſae fuerint, curantur.

CLXXXVIII. Malignae uero, cum aliorum morborum, nempe luis uenereae, comites ſint, eandem, quam morbus eſſentialis poſtulant medelam, eoque curato, facile euaneſcunt; recurrendum igitur ad morbi gallici medelam §. 54. et ſequ. cap. VI. traditam. Si autem topicum deſideras, aqua

aqua nucum, uel mel roſarum aliquot gu
tis ſpiritus uitrioli imbutum ſufficere pote

CLXXXIX. Ranula, uel ranunculus
Graecis βάτραχον, eſt tumor mollis, laxus
plerumque indolens, ranae poſteriora ref
rens, ac ſub lingua ſitus, ab aggeſta et ſt
gnante limpha craſſa ortus.

CLXXXX. Primum hic adhibenda emo
lientia et maturantia, quale eſt cataplaſm
ex ficubus et paſſulis minoribus in uin
dulci coctis, paratum, tepide ſub lingu
tenendum; ſi his nihil efficias, fortiora re
ſoluentia ex ſale ammoniaco, gemmae, e
ſentia ſuccini, mirrhae uſurpanda; et ta
dem, quando nec iis cedit, tumor ſcalpe
lo aperiendus, et expreſſo muco, os d
cocto ſaluiae, in quo mel roſarum ſolutun
uel oxycrato colluatur.

CXCI. In linguae paralyſi et conuulſion
quae aphoniam comitem indiuiduum h
bet, eadem definitio, eadem cauſa, atqu
eadem medela, quae §. 46. et ſequ. §. 101.
ſequ. cap. IX. tradita, occurrit.

CXCII. Prolapſus palati, eſt muſculorur
pharyngis ſub finem palati ſitorum intu
meſcentia et depreſſio, qua iidem ab hu
morum congeſtione tantam acquirunt m
lem, ut aeri uiam, cum per os, tum per n
res, praecludant. CXCII

CXCIII. Merito hic morbus non minus grauis, quam rarus a Tvlpio (r) appella-ur, in quo repentinum auxilium, tumo-em ſcalpello pertundendo, et humorem congeſtum euacuando, ſumme neceſſa-ium.

CXCIV. Patiuntur ſuas quoque manes onſillae et columella, et iam intumeſcunt, am inflammantur; modo ſcirrho, modo ılcere laborant; horum morborum origo maximam partem in ſanguine haeret, unde ea, quae §. 1. usque ad finem cap. VII. et III. et ſequ. cap. IX. adducta, huius loci ſunt. Gargariſmata autem, quae hic multum praeſtant, ex plantagine, equiſeto, floribus roſarum et gallis contritis, uel ex aqua fontanea, cui paucae guttae olei uitrioli inſtillatae, aut ex floribus ſambuci, ficubus et maiorana, in aqua ſimplici coctis, quibus, ſi morbus ſymptoma luis uenereae, parum calcis uiuae addi poteſt.

CXCV. Raucedo, eſt uocis deprauatio, adeo a naturali ſtatu recedentis, ut inaequalis, ſubſtridula et ſemiſona ſit, ex laeſione organorum uocis, cumprimis rimulae laryngis proueniens.

CXCVI. Hoc malum ſaepiſſime phtiſin pul-

(u) Obſ. lib. 1. hiſtor. 38.

pulmonalem comitatur, unde quoque rau cedo illa cum tuſſi coniuncta eſt; interdum eadem, ſymptoma eſt catarrhi, ac in ſpeci catarrhus, quem Graeci βράγχον dicunt uocatur; quandoque a plethora et uaſorum nimia diſtenſione ortum ducit; ea igi tur, quae in antecedentibus, ad plethorae §. 38. et ſequent. cap. II. et catarrhorum §. 3. et ſequ. cap. IX. curam commendata, et quae in ſequentibus ad phtiſeos pulmonalis medelam praeſcribuntur, hic tenenda atque agenda.

CXCVII. Spaſmi et paralyſis colli non differunt ab iis, quorum deſcriptio cap. IX ſuppeditata; hinc ut eorum explicationi ulterius immoremur minus neceſſarium; anginae potius phaenomena paucis examinabimus. Angina notat inflammationem muſculorum laryngis et faucium, ab impedita per eosdem ſanguinis circulatione ortam.

CXCVIII. Diſtinguitur angina in ueram et ſpuriam; ſpuria notat inflammationem et tumorem tonſillarum, febris expertem; uera in muſculorum et laryngis inflammatione conſiſtit, eaque nunquam ſine febri acuta exiſtit.

CXCIX. Verae anginae quatuor ſpecies ueteres conſtituerunt, nempe κυνάγχην, πα-

ρακυ-

ακυνάγχην, συνάγχην et παρασυνάγχην; ſi
nim muſculi interni pharyngis ſunt in-
ammati, συνάγχη, ſi externi, παρασυνάγχη;
a porro, ſi interni muſculi laryngis ſunt
nflammati, κυνάγχη, ſi externi, παρακυ-
άγχη dicitur. Alii uero horum diſcrimen
tumorum abſentia et praeſentia deſumunt.

CC. His multi adhuc quintam anginae
peciem addunt, eamque a luxatione, uel
paſmo uertebrarum colli deducunt; quae
fiat contractio in anticam partem, lordo-
s; ſi in poſticam, cyphoſis; ſi in latus uel
extrum, uel ſiniſtrum, ſcolioſis dicitur.

CCI. Praecipue in anginae cura, quae,
ti omnium inflammationum, praeſentiſſima
t, conſideretur, an muſculi laryngis uel
haryngis ſint inflammati; ſi enim malum
n muſculis laryngis haeret, magis impedita
ſt reſpiratio, minus deglutitio; contra-
ius autem ſtatus in inflammatione muſcu-
orum pharyngis deprehenditur. Quo ma-
is uero reſpiratio neceſſaria, eo citius in-
ammationi muſculorum laryngis ſuccur-
endum.

CCII. Dehinc ſi ea, quae §. 16. et ſequ.
. 60. et ſeq. §. 71. et ſequ. cap. VII. com-
nendata, non ſufficiunt, et ſuffocationis pe-
iculum urget, ad laryngotomiam, potius
trachaeo-

trachaeotomiam, quam Nuckius (w) de-
ſcribit, confugiendum.

Caput XI.

DE RESPIRATIONE ET HUIUS INSTRUMENTIS.

I.

Homo, qui hunc relinquens mun-
dum, uitam exſpiratione claudit, ill-
eandem, in hanc prodiens lucem, inſpiratio-
ne perfectam reddit.

II. Reſpiratio enim inſpiratione atque ex-
ſpiratione conſtans, eſt actio hominibus iam
natis competens, quam foetus in utero non
exercet, nec exercere poteſt.

III. Foetum in utero reſpirare, affirma-
Hippocrates (x) et Galenus, (y) cum
quibus Boyle (z) et Sponius (a) ad u-
gitum uterinum et ſucci nutricii deglutitio-
nem absque reſpiratione impoſſibilem pro-
uocantes conſentiunt.

IV. Contrarium uero probant, 1) teſt-
m-

(w) lib. exper. Chirurg. exper. 25. (x) lib. de n-
tura pueri (y) lib. an animal ſit, quod in ute-
continetur, cap. 9. (z) Exper. mechanico-phy-
cis (a) Aphor. nou. Sect. 1. §. 41. p. 39.

monium Salomonis, (b) 2) denegatus aeris ad foetum acceſſus, 3) pulmones embryonis compreſſi et collapſi, 4) eorum grauitas, 5) peculiaris in foetu circuli ſanguinis ratio.

V. Praecipuum circuli ſanguinis ſubſidium eſt reſpiratio, atque absque eadem maſſa purpurea per pulmonum uaſa ire redireque nequit; hinc foetus, quia in utero non reſpirat, circulo ſanguinis minore deſtituitur, et pulmones ſuccum nutricium ab arteria bronchiali Ruyſchii accipiunt.

VI. Cum autem circulus ſanguinis maior cum minore intimum habeat commercium, atque alter absque altero continuari nequeat, peculiari mechaniſmo circuli ſanguinis maioris perennitati in embryone proſpectum; nam in foetu, iuxta cor, foramen ouale, per quod ſanguis ex uena caua in uenam pulmonalem, et canalis arterioſus adeſt, per quem ſanguis ex arteria pulmonali in arteriam aortam deriuatur.

VII. Quam primum uero foetus utero excluſus incipit reſpirare, et pulmonum ueſiculae a ui elaſtica aeris explicantur, uiaque ſanguini ex arteria pulmonali in omnes ipſius ramos, et ex his in ramos uenae pulmonalis panditur,

(b) lib. Sap. c. 7. u. 3.

tur, illeque pleno flumine a uentricul
dextro per pulmones ad ſiniſtrum tranſit
allegatae anaſtomoſes, ob ſuccorum trans
euntium defectum, paulatim coaleſcunt.

VIII. Hoc modo cum reſpiratione in
choatur circulus ſanguinis minor. In re
ſpiratione duo actus alternatim reciprocan
tes, nempe inſpiratio atque exſpiratio, con
ſiderandi.

IX. Inſpiratio, eſt actio pectoris et mu
ſculorum intercoſtalium, qua coſtis arcua
tim erectis, et diaphragmate ad inferior
coacto, aer per os et nares aſperamque ar
teriam in pulmones admittitur, horumqu
ueſiculas explicat.

X. Exſpiratio, eſt actio thoracis et mu
ſculorum abdominis, qua coſtis iterum i
priſtinum ſitum reſtitutis, et diaphragmat
in fornicem reducto, cauitas pectoris coar
ctatur, et aer antea per inſpirationem i
pulmones admiſſus, horum compreſſione
per aſperam arteriam, os et nares iterum
expellitur.

XI. Organa reſpirationis in actiua e
paſſiua a multis diuiduntur; actiua, dia
phragma, muſculi intercoſtales atque ab
dominis dicuntur; pulmo uero, inſtrumen
tum reſpirationis paſſiuum appellatur; li
cet uero diaphragma praecipuum ſit reſpi
rationi

rationis inſtrumentum; licet muſculi intercoſtales praecipuum auxilium ad pectoris dilatationem, et muſculi abdominis ad illius conſtrictionem, ferant, minime tamen excludendi ſunt pulmones, qui quippe primarias in reſpiratione partes obtinent.

XII. Pulmo, eſt uiſcus fiſtuloſum, membranaceum et celluloſum, ex bronchiis, arteriis, uenis, neruis, uaſis limphaticis atque his appenſis et intertextis ueſiculis Malpighianis contextum, in ſupremo thoracis ſitum, et reſpirationi dicatum.

XIII. Praecipua pulmonum pars, eſt aſpera arteria, fiſtula conica, parte anteriore, cartilaginea, poſteriore, membranacea, larynge et bronchiis per totam pulmonum ſubſtantiam diſtributis conſtans, aeri admittendo atque emittendo inſeruiens.

XIV. Pulmones in negotio reſpirationis maximam habent cum folle ſimilitudinem; nam, quando thorax inſtar laterum follis dilatatur, tum aer per os et nares in pulmones illabitur eosque explicat; eo ipſo autem, dum thorax contrahitur, ea, uti idem in folle contingit, ratione, aer iterum compreſſione exprimitur.

XV. Aer, non attrahitur a pulmonibus, ſed idem grauitate ſua in pulmones, quando

do thorax dilatatur, impellitur, et ui ſua elaſtica pulmonum ueſiculas dilatat.

XVI. Aer autem nihil aliud eſt, quam uariorum effluuiorum elaſticorum, ſeroſorum, ſalinorum, ſulphureorum, ab aqua et terra ſeparatorum congeries, quae ſubtili materiae aethereae uelut innatant.

XVII. Duas praecipuas qualitates in aere deprehendimus, nimirum grauitatem et uim elaſticam; cum enim aer uelleris inſtar hoc uniuerſum circumdet, atque ad coelum usque eleuetur, partem inferiorem a ſuperiore premi, neceſſe eſt; uis autem, quae in particulis aeris plicatibilibus et ramoſis preſſis uiget ſe reſtituendi atque iterum dilatandi, elaſtica appellatur.

XVIII. De uſu reſpirationis maximus inter ueteres et recentiores diſſenſus; ueteres enim inſpiratione flammulae uitali pabulum communicari, atque exſpiratione fuligines explodi, affirmabant.

XIX. Inter recentiores Sylvii et Loweri commemoranda figmenta, quorum primus exiſtimat, ſanguinem in uentriculo cordis dextro efferueſcentem, reſpiratione, praeſertim aeris nitroſi efficacia inſpiratione recepti, refrigerari; alter uero, chylum in pulmonibus, tenui et nitroſo aere impraegnari, quo rubicundum induat colorem, perhibet.

XX.

XX. Plurimi inter recentiores, cum Borello, Bohnio et Maiovio, uel aeris partes graues atque elaſticas, uel mediae aerem naturae, aut aerem nitroſum, in reſpiratione per bronchia in uenas tranſire, et motum ſanguinis inteſtinum conſeruare, aſſerunt.

XXI. Quo minus uero huic ſententiae ſubſcribamus, uaria monent momenta; 1) aeris in ſanguine defectus, ſecundum Leevwenhoeckii (c) experimentum; 2) Trvstonis atque Highmori obſeruationes, 3) aeris natura, 4) defectus oſculorum, per quae tranſire debet, 5) reſiſtentia particularum exhalantium, 6) gelatinoſus bronchiorum liquor aeris implicans ſpirulas, 7) aeris in uenam iniecti incommoda, 8) uariae, quas aer tranſire debet, membranae, 9) ſpaſmo tracheae ſuccedens ſuffocatio, 10) pulmonum in uacuum Boyleanum immiſſorum diſruptio, 11) reſpirationis in embryone defectus.

XXII. Primarius reſpirationis uſus eſt ut libera per pulmones ſanguinis circulatio atque attritio fiat, quod ſuccorum ex pulmonibus redeuntium tenuitas et rubedo confirmat.

(c) Arcan. Natur. detectis, epiſt. 72. et 73.

XXIII. Hac actione inſenſibilis perſpiratio et ſecretio animalis quoque promouetur, et retento compreſſoque ſpiritu, loquela, fletus, cantus, riſus, ſuctio, fecum, lotii et foetus excretio adiuuatur.

XXIV. Praecipuae pulmonum functiones ſunt, reſpiratio, ſanguinis et chyli attritio, atque ad uentriculum cordis ſiniſtrum propulſio; quaecunque igitur remedia has actiones in exoptato ſtatu conſeruant, illa, eo ipſo, dum hoc praeſtant, thoracica et pectoralia dicenda.

XXV. Quid hac ratione de ſic dictis ſpecificis bechicis, thoracicis, anthiphtiſicis ſit ſentiendum, antecedentia ſatis demonſtrant; ea enim omnia, quae pulmonalium nomine donantur, ſimile plane ritu, ac alia medicamenta, attenuando, diluendo, ſoluendo, inſpiſſando, ſtimulando agunt.

XXVI. Si quidquam pro thoracico uero habendum, aer ipſe, eſt illud, quatenus uaporibus quibusdam impraegnatus in pulmones recipitur; ſedulo autem conferas morbificae cauſae indolem, cum effluuiis, quibus aerem, ad malum pulmonum ſtatum emendandum, imbuis.

XXVII. Conducunt ita ſuffumigia ex gummi animae, maſtiche, thure, benzoe, ſtyrace

ſtyrace calamita, eaque optima ſunt pneumonica, quando limpha nimis tenuis atque acris per limphatica uaſa pulmonum nimis laxata dilabitur.

XXVIII. Sin autem alcalina exhalatio ardentis indolem acrimoniae habens pulmonibus iniuriam et periculum minetur, uti in peſte, uariolis, morbillis, petechiis aliisque febribus malignis obſeruamus, tum uerum atque optimum thoracicum ſeu pneumonicum, eſt uapor aceti, uini rhenani, pulueris pyrii, per tracheam exceptus.

XXIX. E contra, ubi ſpiritus nitri et aliorum acidorum effluuia pulmones inuaſerunt, et diſſipato ſero tenui, reſiduaque maſſa inſpiſſata, pleuritidem, peripneumoniam, diſpnoeam, tuſſim aliaque ſymptomata induxerunt, tunc praeſtantiſſimum pneumonicum, eſt urinae putrefactae uapor ore receptus, internusque ſalis uolatilis alcalini oleoſi largo uehiculo ſeroſo iuncti uſus.

XXX. Si demum materia ſpiſſa atque acris pulmonibus ſit infeſta, ſi fibrae bronchiorum ſint rigidiores et ſicciores, uapor aquae calidae, cui pauxillum ſalis tartari iniectum, conueniens eſt pectorale; prodeſt quoque ſpongia aqua tepida imbuta, et aegri naribus, ea cum cautela, applicata, ut aegrotus per naſum inſpiret, per os uero exſpiret.

XXXI. Plura adhuc ſunt, quae Medicus in morborum, qui pulmones afficiunt, nempe pleuritidis, peripneumoniae, uomicae, haemoptyſis, empyematis, phtiſeos pulmonalis, catarrhi ſuffocatiui, incubi, ſuffarctus, tuſſis, difficilis reſpirationis, ſingultus obſeruare debet; breui itaque dictorum affectuum explicatione, quid ex re, enodabimus.

XXXII. Pleuritis, ſecundum ueteres, eſt inflammatio membranae pleurae, ſecundum recentiores, lobi alterutrius pulmonum, cum dyſpnoea, dolore lateris punctorio et febri continua, ab impedito ſanguinis per illam partem circulo dependens.

XXXIII. Peripneumonia uero utriusque lobi inflammationem ab eadem excitatam cauſa, cum maiori reſpirandi difficultate, dolore punctorio in utroque latere, et febri acuta, denotat.

XXXIV. Hic ſumma laborandum cura, ut libera ſanguinis per pulmones circulatio reſtituatur; hinc abundans ſanguis uenae ſectione euacuandus, diaphoreſis promouenda, uiſcidum diluendum et reſoluendum, acre temperandum, uti idem pluribus §. 94. cap. V. §. 59. et ſequ. §. 70. et ſequ. Cap. VII. indicatum.

XXXV.

XXXV. Haemoptyſis, eſt ſanguinis e pulmonibus per os cum tuſſi et ſpuma reiectio, a ruptis uaſis ſanguiferis pulmonum prouenięns.

XXXVI. In haemoptyſis cura duo neceſſaria ſunt, 1) cauſa uulnerans tollenda, 2) uaſa diſrupta conſolidanda

XXXVII. Vulneraria, quae ad uaſa diſrupta aut eroſa conſolidanda adhibes, non ſint adſtringentia atque obſtruentia terrea et auſtera, ſed ſeroſa, gelatinoſa et oleoſa, nimirum decoctum auenae tritae butyro non ſalito imbutum, oleum lini, amygdalarum dulcium, gelatina cornu cerui.

XXXVIII. Ad tollendas cauſas uulnerantes, pluribus opus eſt ſubſidiis; nam alia in ſuccorum abundantia conſiſtit, ubi omnibus praeſtat uenae ſectio; alia ab ulcere ortum ducit, ubi infuſo ex ſcabioſa, betonica et ſcorzonera parato et balſamo Lucatelli ulcus mundificandum; alia ſuccorum acrimoniam ſequitur, quae pro uaria indole, uariis remediis §. 84. et ſequ. cap. IV. adductis emendatur; alia ſymptoma eſt ſuppreſſi fluxus menſtrui aut haemorrhoidalis, quae, curato morbo eſſentiali, ſua ſponte ceſſat.

XXXIX. Vomica, dicitur alias apoſtema cum ſuppuratione; pulmonum uero uo-

mica, eſt materiae uiſcidae propria membrana concluſae collectio, intra pulmonum ſubſtantiam haerens, a limphae extrauaſatae combinatione generata.

XL. Diſrupta membrana uomicae, quae pituitam aſſeruat, non ſuffarctus ſaltem pulmonum, ſed ſuppurata illa materia, empyema etiam producitur, cuius definitio, aetiologia et cura §. 75. 76. et ſequ. cap. VII. iam tradita.

XLI. Totius corporis conſumtio, cum tuſſi, dyſpnoea et febri lenta, ulcus ſeu empyema pulmonum ſequens, dicitur phtiſis pulmonalis.

XLII. Dehinc pthiſis pulmonalis curari non poteſt, niſi prius ulcus pulmonum curetur; ad hoc uero curandum, adhibe ea, quae ſupra §. 38. praeſcripta, et his, ad exſiccationem, adiunge ea, quae §. 27. commendata.

XLIII. Sic dicta antiphtiſica, ſunt remedia abſorbentia partim, partim reſoluentia, quae cum circumſpectione adhibenda.

XLIV. Catarrhus ſuffocatiuus, eſt laryngis, in ſpecie epiglottidis ſpaſmus, ſanguinis in pulmonibus ſtagnationem comitem habens, ab acri interno aut externo conſtringente excitatus.

XLV. Suffarctus pulmonalis denotat bronchiorum a maſſa ſeroſa et uiſcoſa obtura-

turationem, cum dyſpnoea et tuſſi humida iunctam, ab uberiore ſeri ſecretione et ſtagnatione ortam.

XLVI. Incubus ſeu ephialtes, eſt muſculorum thoracis ſpaſmus, cum difficili reſpiratione et ſenſu incumbentis ponderis, a ſuccorum ſtagnatione atque abundantia prouenieņs.

XLVII. Tuſſis, eſt exſpiratio ſonora, crebrior, inaequalis et uiolenta, cum totius corporis concuſſione iuncta, a conuulſiuo bronchiorum motu dependens, et ſi cum reiectione multae pituitae aut puris coniuncta eſt, humida, ſin uero nihil aut parum excernitur, ſicca dicitur.

XLVIII. Difficilis reſpiratio a multis in uarias ſpecies diuiditur, prima, eſt aſthma, quod difficultatem reſpirandi cum ſibilo, ſtridore, ronchis atque anxietate coniunctam denotat.

XLIX. Dyſpnoea, altera ſpecies eſt, et ſignificat difficilem, frequentem et denſam reſpirationem, citra ſibilum et omnem ſonum.

L. Orthopnoea, eſt ſumma reſpirandi difficultas, ubi aegroti, nonniſi erecta ceruice, aerem trahere poſſunt.

LI. Sin-

LI. Singultus, eſt interrupta reſpiratio atque exploſio aeris cum ſonitu, a conuulſiuo diaphragmatis motu dependens.

LII. Curatio horum morborum ita inſtituenda, ut cauſam cum effectu, et ſymptoma cum morbo eſſentiali tollamus; nam iidem haud raro ex uentriculi, meſenterii aliarumque partium uitio prodierunt; unde ad morbum primarium medela dirigenda; praeter haec uero obſeruamus, in catarrho ſuffocatiuo, ſuffarctu pulmonali, tuſſi et dyſpnoea humida, reſoluentia et ἄνω ac κάτω euacuantia, quae §. 60. 65. 72. et ſequ. §. 180. et ſequ. Cap. III. §. 91. 92. cap. IV. commendata, admodum proficua eſſe.

LIII. Ab his abſtinere debes, ſi exhalatio acris, aut dyſcraſia alcalina in corpore haerens allegata mala induxit; potius tunc emollientia ex radice polypodii, liquiritiae, iuiubis, ficubus, malua, parietaria atque althaea confecta adhibenda, et acrimonia diluenda et temperanda, ac fibrae nimis rigidae atque elaſticae relaxandae.

LIV. Si plethora ſit in culpa, ſi catarrhi negotium faceſſant, ea, quae ad illorum medelam §. 38. cap. II. et §. 112. ac ſequ. cap. IX, commendata, applicanda.

Capvt XII.

De Transpiratione insensibili et sensibili.

I.

Ex corpore noſtro machinam hydraulico-pneumaticam aemulante, et innumeris minimisque, piſcatoriae inſtar naſſulae, poris inſtructo, magna continuo multifariae effluuiorum indolis copia ſecedit, atque in auras abiens cum atmoſphaera nos ambiente miſcetur.

II. Illa actio, tranſpiratio inſenſibilis dicitur, et maſſae ſeroſae ac ſalinae ex ſanguine per poros cutis protruſio atque exhalatio eſt.

III. In tranſpiratione ſenſibili, illa exhalatio, cum ſit uberior, collecta atque in guttulas condenſata ſudorem conſtituit.

IV. Materia, quae hic forma uaporis uel ſenſibilis aut inſenſibilis e corpore eliminatur, eſt ſerum, uariis particulis ſalinis, ſulphureis, pro uario ſanguinis genio, imbutum.

V. Sudor ſanguineus et potulentorum ac medicamentorum colorem, odorem et reliquas qualitates retinens indicat, 1) ſanguinem

guinem nimis dilutum et reſolutum, 2 apices arterioſos et poros cutis nimis dilatatos.

VI. Organum tranſpirationis, ſunt apices arterioſi et papillae neruoſae, omnes cauitates omniumque partium ſuperficiem occupantes.

VII. Fictae glandulae ſubcutaneae, miliares uel Stenonianae, uti Rvschii (d) obſeruatio docet.

VIII. Pori autem cutis atque aſpera arteria communem illam uiam conſtituunt, per quam ſerum a ſanguine ſecretum e corpore in auras defertur.

IX. Cutis, eſt membrana retiformis, totum inueſtiens corpus, duplici conſtans lamella, ex propagatis fibris neruoſis atque intertextis uaſis ſanguiferis et limphaticis efformata, tranſpirationi et partium ſubiacentium defenſioni deſtinata.

X. Cutem in uariis locis pilis innumeris obſeſſam inuenimus, illi uero ſunt tubuli peculiares, qui actis in ſubiecta cuti pinguedine radicibus, exſpirationi unctuoſae materiae, et partium, quibus inhaerent, defenſioni inſeruiunt.

XI. Fibra-

(d) Aduerſ. Anat. Dec. 1. obſ. 3. p. 9. et ſequ.

XI. Fibrarum cutis neruearum, quae nunc relaxantur, nunc conſtringuntur, in negotio tranſpirationis magna uis eſt; unde in morbis a ſuppreſſa tranſpiratione inſenſibili ortis ſemper cauſarum externarum habenda ratio.

XII. Non aliunde, quam a ſanguinis circulo, cauſa tranſpirationis efficiens deriuanda; huius enim miniſterio, particulae aqueae, aereae, ſalino-ſulphureae, aliaeque tenuiores, continuo ad cutem deferuntur, ſecernuntur, ac per poros expelluntur; unde quoque tranſpiratio pro uario ſanguinis ſtatu et circulo ualde uariat.

XIII. Haec tamen inſenſibilis ſecretio, ſecundum Sanctorii (e) experimenta, qui omnium optime et ſolidiſſime eandem deſcripſit, reliquas omnes longe ſuperat.

XIV. In perſpiratione igitur rite procedente maxima ualetudinis ratio poſita, atque ab eadem ſuppreſſa grauiſſimi morbi, praeſertim cutis defoedatio, oriuntur.

XV. Nimia pariter perſpiratio, quam ſudorem colliquatiuum dicimus, maxime corpori pernicioſa, et breui omnes ſuccos gelatinoſos omnesque uires exhaurit.

XVI. Vſus

(e) Medicina ſtatica ſect. I. §. 58. 58. et 60.

XVI. Vſus tranſpirationis egregius e multiplex eſt, partim eadem ad nutritio- nem, partim ad conſeruandam poroſitatem partim eliminato ſero ſuperfluo atque acr ac diminuta preſſione, ad praecauenda febres, conducit.

XVII. Huius aſſerti certitudinem euin cunt tot et tam uariae febrium ſpecies, ſup preſſam tranſpirationem, tempeſtate autu mnali, ſequentes, ac tot genera exanthema tum et macularum cutis. Cum uero de febribus, ſcabie, uariolis et morbillis iam in antecedentibus actum, reliqua cutis uitia paucis adhuc expendenda

XVIII. Haec uero uarii coloris uariae que indolis ſunt: alia critica, alia ſympto- matica; notiſſima uero ſunt, ephelides, lentigines, maculae hepaticae, pannus, nae- ui materni, uari, gutta roſacea, maculae in- fantum uolaticae, herpes, impetigo, alphus ſeu uitiligo, alopecia, ophiaſis et caluities.

XIX. Ephelides, ſunt maculae aſperae et nigrae, ex ardore ſolis, aut etiam ab inflam- matione, in facie, progenitae; Germanis dicuntur *der Sommer Brand.*

XX. Lentigines, *die Sommer Sproſſen*, ſunt maculae cutis ex flauo rubeſcentes, modo coloris fuſci, lentibus ſimiles, manus et faci- em cum primis infeſtantes.

XXI.

XXI. Maculae illae, ſi ampliores ſint, et ſe latius diffundant, praecipue dorſum et pectus conſpurcent, maculae hepaticae, *die Leber Flecken* appellantur.

XXII. Pannus, *die Honig Flecken*, eſt naeuus latior, coloris ſubflaui, uel fuſci, aut ſubnigri, ſpalmae interdum magnitudinem obtinens, et luem uenerεam aut alium morbum malignum ſequens.

XXIII. Naeui materni, ſunt maculae uel planae, uel protuberantes, uaria figura et colore praeditae, a matre grauida tempore geſtationis per imaginationem uel terrorem fortiorem infantibus impreſſae, hinc maculae originales, uel notae infantum, *die Muttter Maehler* dicuntur.

XXIV. Vari, *die Venus Blumlein*, ſunt tubercula dura et parua, faciem infeſtantia, a maſſa uiſcidiore ſtagnante oborta.

XXV. Gutta roſacea, *der Kupffer Handel*, eſt epidermidos, in facie, cum rubore praeternaturali, et interdum cum puſtulis aut ulceribus, eleuatio, a ſeri acris ſuperficiariam inflammationem inducentis ſtagnatione generata.

XXVI. Maculae infantum uolaticae, Germanis *der Flug*, ſunt parua ſtigmata in cute efflo-

te effloreſcentia, quae cum eryſipelate conueniunt, et in hoc ſaltem ab eo differunt quod eryſipelas in uno plerumque loco permaneat, uolaticae uero maculae priorem locum deſerentes uicina loca inuadant.

XXVII. Herpes, eſt tumor latus, partem aſperam reddens cum inflammatione modo exulcerationis expers, modo eandem comitem habens.

XXVIII. Diſtinguitur herpes in miliarem atque exedentem; miliaris, *der Haar-Wurm*, quae cutim ſolummodo cum prurigine occupat, et exiguis puſtulis, inſta granorum milii ſub epidermide haerentibus ſummam exaſperat cutem.

XXIX. Herpes uero exedens, non cutem duntaxat, ſed muſculos ſubiectos obſidet, et ruptis puſtulis partes uicinas inferiores erodendo ulterius proſerpit.

XXX. Herpetis ſine exulceratione ſpecies eſt impetigo, quae ſummam cutis aſperitatem cum uehementi prurigine, ſquamis et furfuribus denotat.

XXXI. Alphus ſeu uitiligo, eſt macula cutanea ſubaſpera, et ſi alba eſt altiusque deſcendit, Λευκή, ſi uero nigra et umbrae ſimilis, Μέλας dicitur.

XXXII. Alopecia, eſt capillorum defluuium, ab eroſione radicum proueniens, unde lue uenerea laborantibus frequens.

XXXIII. Ophiaſis ſiue area, eſt caluitiei ſpecies, ubi capilli certis ſpatiis, in ſerpentis ſimilitudinem, decidunt.

XXXIV. Caluities, capitis depilationem, et cumprimis ſincipue glabrum, ſenibus familiare, denotat.

XXXV. Proxima omnium allegatorum affectuum cauſa in ſeri uiſcidi et ſalis acris ſtagnatione atque accumulatione conſiſtit; ſedem huius mali tomentoſae arteriarum extremitates partim, partim receptacula pinguedinis conſtituunt; diſcrimen uero a diuerſa materiae ſtagnantis indole dependet.

XXXVI. Imo, re rite expenſa, omnes illi affectus, nihil aliud ſunt, quam diuerſi diuerſae dyſcraſiae et ſcorbuti effectus, unde in eorum cura, eadem, quae §. 84. et ſequ. cap. IV. et §. 1. usque ad finem cap. VI. praeſcripta, obſeruanda.

XXXVII. Externe quidem uarii generis unguenta, fomenta, ſapones, linimenta, aquae coſmeticae, et alia ex lacte uirginis, oleo tartari per deliquium, ſigillo Salomonis, tinctura benzoes, aqua liliorum alborum, in ſpecie uero ex mercurialibus et

ſulphureis confecta adhibentur; ſed haec inſufficientia partim, partim noxia ſunt; Hoc nuper modo animaduerti in uirgine, quae floribus ſulphuris in aceto ſolutis, pectus maculis hepaticis obſeſſum abluens in dyſpnoeam, tuſſim et dolorem lateris ſiniſtri punctorium incidit, quae mala neglecta perfectam phtiſin pulmonalem et demum mortem accerſiuerunt.

XXXVIII. Melius huiusmodi aegrotis proſpiciemus, ſi ſecundum ea, quae §. 36. commendata, dyſcraſiam praedominantem corrigamus, et liberam reſtituamus tranſpirationem, iis obſeruatis cautelis, quae §. 103. et ſequ. cap. V. ſuppeditatae.

XXXIX. Diaphoretica diſtinguuntur a ſudoriferis, et per diaphoretica, ea remedia, quae abundans ſerum ſalinis aliisque particulis imbutum, ſub ſpecie perſpirabilis Sanctoriani e corpore amandant intelliguntur.

XL. Sudorifera econtra, Graecis ἱδρωτικὰ dicta, ſunt remedia, quae largiorem ſeri in guttas confluentis per cutem ſeparationem promouent.

XLI. Nulla dantur ſpecifica diaphoretica aut ſudorifera, et ſaepius haec in illo tranſpirationem inſenſibilem duntaxat, illa uero in hoc ſudorem proliciunt; interdum nec ad inſenſibilem, nec ad ſenſibilem perſpirationem excitandam ſufficiunt.

XLII.

XLII. Hoc exemplo ſic dictorum ſpecificorum demonſtrari poteſt; pro his uero habentur theriaca, lapis bezoardicus orientalis, herba ſcordii, cardui benedicti, ſpiritus bezoardicus Buſſii, mixtura ſimplex; illa tamen remedia, ſi corpus ad ſudorem prius non ſit diſpoſitum, fruſtra, imo cum detrimento praeſcribuntur, uti idem in febricitantibus obſeruamus, quibus allegata remedia in paroxyſmo exhibita, non ſudorem, ſed anxietatem, dyſpnoeam, aeſtum aliaque grauia ſymptomata excitant.

XLIII. Neceſſarium itaque, ut pro uaria dyſcraſiae ſpecie, uaria diaphoretica et ſudorifera praeſcribantur, atque ante eorum uſum, corpus diluentibus, frictionibus et moderato calore ad perſpirationem praeparetur.

XLIV. Alia ſudorifera et diaphoretica, acria et uolatilia ſunt, nempe ſpiritus cornu cerui, ſal uolatile uiperarum, ſuccini, eaque in dyſcraſia ſeroſa conducunt.

XLV. Alia, ſunt ſalia fixa, nimirum ſal cardui benedicti, abſinthii, centaurei minoris, ſal digeſtiuum Syluii, quae una cum ſeroſis in ſuccorum uiſciditate et dyſcraſia acida ordinanda.

XLVI. Alia, ſunt terrea ſalinis particulis imbuta, qualia, lapides cancrorum, unicor-

nu marinum, cornu cerui ſine igne, quae acido abſorbendo et ſuccis coagulatis diſſoluendis conducunt.

XLVII. Alia denique, ſunt acida, ſcilicet tincturae acidulae, oxymel ſquilliticum, aceta bezoardica, cremor tartari, tartarus uitriolatus, quae bilioſis conducunt; alia, ſunt temperata, ex acidis et alcalinis compoſita, nimirum ſpiritus ſalis dulcis, nitri dulcis, quae in partium ſolidarum laxitate conducunt; alia ſunt ſeroſa ſalinis imbuta particulis, aquae minerales, thermae atque acidulae, quae ſiccioribus conueniunt.

XLVIII. Dantur praeterea alia remedia, dantur certi modi, quorum ſubſidio perſpiratio promouetur; ita in illis, quorum uilli motrices laxiores, opium, china de china, radix tormentillae, uinum auſterum, ſunt optima diaphoretica, haec enim inſinuando ſe extremis partium interſtitiis, rigiditatem inducunt, et augendo contractionem, humorum propulſionem atque excretionem promouent.

XLIX. Alia quidem ratione, in hoc ſtatu operantur, ſed idem perficiunt ſtimulantia leniora, corporis exercitia, ambulatio, equitatio, uectio in curru, haec enim irritando neruos, eorum uim oſcillatoriam et ſuccorum attritionem augent.

L. Pro-

L. Promouetur deinceps tranſpiratio inſenſibilis, materiam perſpirabilem ad cutem determinando, quod aeris mediocriter calidi, exercitiorum leniorum, et aequalis ac remiſſioris totius corporis commotionis beneficio peragi poteſt.

LI. Denique ad perſpirationem pori cutis aperti, nec adeo laxi, nec nimis conſtricti requiruntur, unde, ſi cutis ſtrictior aut laxior ſit, quam par eſt, haec uitia, balneis, fotibus, frictionibus, lotionibus, deterſionibus, cutem nimis ſtrictam laxando, nimis laxam ſtringendo, remouenda.

LII. Iisdem modis parum auctis, ex inſenſibili, ſenſibilis ſit perſpiratio, adeoque tot genera ſudoriferorum, quot dantur diaphoreticorum; plura uero adhuc reſtant momenta, quae in ſequentibus ſudoriferorum ſpeciebus, enodanda.

LIII. Primum conſideranda ea ſudorifera, quae laxando emiſſaria, et diluendo ſanguinem, ſudorem proliciunt; haec uero ſunt uel externa, fotus, balnea, uapores tepidi; uel interna, quaeuis nempe infuſa emollientia, decoctum hordei, infuſum Theae, Thee Boy, aqua melle edulcorata.

LIV. Proſtant praeterea ſudorifera, quae demulcendo et temperando acrimoniam, ſpaſmos tollunt, illiſque ablatis, ſudoris ſe-

cretionem reſtituunt; huiusmodi ſunt, opium, diaſcordium Fracaſtorei, pilulae de ſtyrace, de cynogloſſa, lapides cancrorum, antimonium diaphoreticum.

LV. Alia adhuc adſunt, quae ſuccos reſoluendo, eorumque ad emiſſaria affluxum accelerando, ſudorem efficiunt; ex eorum claſſe ſunt quaeuis ſalia uolatilia ſimplicia et oleoſa, motus fortiores, ac quaeuis feruida atque aromatica.

LVI. Eadem remedia et quaeuis acria cuti externe applicata, nimirum euaporatio ſicca, acetum, zingiber, ſemen ſinapeos, irritando extremos ſubcute ſitos apices arterioſos, atque excitando in eorum uillis fortiorem et crebriorem contractionem, ſudorem proliciunt atque exprimunt.

LVII. Nunc igitur externa, nunc interna; iam uolatilia, iam fixa; modo alcalia, modo acida; nunc adſtringentia, nunc laxantia diaphoretica et ſudorifera, pro uaria cauſarum et morborum indole ac ſede, adhibenda.

Capvt XIII.

DE CORPORIS NVTRITIONE.

I. Exilia

I.

EXilia et leui unita cohaeſione ſunt ſtamina, quae continua ſucci alibilis acceſſione atque incuneatione, in tantam, qua homo conſtat, machinam extenduntur.

II. Limpha ouuli pellucida, eſt ille liquor, qui prima corporis noſtri rudimenta complectitur; unde embryo primis diebus meram filamentorum gelatinoſorum coagmentationem repraeſentat.

III. Succeſſiue autem illae partes, ſimilis communicatione ſucci, ita dilatantur, ut cum incremento debitam ſimul acquirant rigiditatem, et diſcrepantis organa naturae conſtituant.

IV. Non in eo diſcrepans ſolidorum natura conſiſtit, ut alia ſanguinea, alia ſpermatica ſint, omnia quippe ex limpha ouuli cryſtallina ortum ducunt, ſed diſcrimen in diuerſa laxitatis et rigiditatis ratione fundatum.

V. Nutritio igitur corporis noſtri nihil aliud eſt, quam perpetua ſucci nutricii reparatio, appoſitio, ac cum ſolidis nutriendis firmior unio, nouae inſtar generationis, cum eorum, quibus conſtamus, acceſſione, nutriamur, atque ad debitam magnitudinem prouehamur.

VI. Materia corporis noſtri praecipua eſt gelatina; hoc demonſtrat, 1) ortus ex ouulo, 2) gelatina, digeſtione, in membranaceam primum, cartilagineam deinceps et oſſeam tandem ſubſtantiam abiens; 3) quaeuis partes gelatinam praebentes, 4) oſſa in ſpecie machinae Pampinianae adiumento in gelatinam transmutatae; 5) ſenum, ex defectu gelatinae, ariditas.

VII. His addenda ea, quae in Pathologia obſeruamus; ita 1) ob gelatinae colliquationem et profuſionem contabeſcunt hectici; 2) idem malum nimia et crebriore liquoris genitalis excretione inducitur; 3) nullum melius ſubſidium illos morbos curandi habemus, quam largiorem gelatinoſorum uſum.

VIII. Nutrimentum itaque corporis noſtri, non eſt ſanguis, ſed limpha ſanguinis gelatinoſa, et chylus, quatenus nouum continuo ſerum et gelatinam praebet.

IX. Hinc tanta, pro uarietate uictus, in negotio nutritionis, uarietas; hoc exemplo ablactationis infantum probari poteſt; talis enim chylus, talis limpha et gelatina, qualis cibus.

X. Obſeruabis tamen, multos largam alimentorum et potulentorum largum chylum et gelatinam ſuppeditantinm copiam

aſſumere,

aſſumere, qui admodum tenues et macilenti, cum alii parciore cibi et potus quantitate contenti obeſi ſint.

XI. Huius rei ratio a fortiore tranſpiratione partim, partim a compactiore fibrarum natura deriuanda; unde ſic dicti cholerici multum edentes, graciles nihilo ſecius ſunt; cum alii, quibus fibrae laxiores et poroſiores, ex pauco alimento maius ſentiant incrementum.

XII. Subiectum enim nutritionis, eſt totum corpus, quod, uti ex uariis partibus conflatum eſt, ita hae omnes certos habent poros, quos aliae particulae nutriciae ſubeunt, atque in iis quieſcentes contactu mutuo demum cohaerent ac firmius uniuntur.

XIII. Illa uero particularum alibilium ſeparatio atque unio, non ab anima, uel ſpiritu quodam inſito deriuanda; nec per gluten quoddam naturale nutritionis negotium peragitur; ſed ſola ſanguinis circulatio, et hinc prouenieus preſſio, expreſſio, unio atque incuneatio, proximam nutritionis cauſam conſtituit.

XIV. Tabe hinc afficitur pars et omni exſoluta tono languet, ad quam ſanguinis affluxus impeditus eſt, aut in qua ob apicum arterio-

arterioſorum obſtructionem, ſuccus nutricius ſercerni nequit.

XV. Nec in negotio nutritionis nerui, cum ea, quam continent, limpha, reticendi; illa enim limpha, rigando fibras nerueas, eas in conuenienti tono ac firmitate conſeruat; hinc pars, ob impeditum ſucci allegati influxum, paralyſi affecta, exareſcit, et omni colore et calore naturali priuatur.

XVI. Nihil magis fauet nutritioni, quam ſomnus, et nihil magis ei obeſt, quam uigiliae.

XVII. Sed frequentiſſime exceſſus ſomni nimiae obeſitati, et conſtantes uigiliae tabi anſam ſuppeditarunt.

XVIII. Illa ſola uero non omnis atrophiae et nimiae corporis molis cauſam conſtituunt, plura alia ad huc conſideranda; ſuccinctum itaque examen morborum, qui malam nutritionem ſequuntur, inſtituendum.

XIX. Omnia nutritionis uitia ad tres claſſes reduci poſſunt, 1) continet nimiam nutritionem; 2) tradit incommoda inaequalis nutritionis; 3) de nutritionis defectu agit.

XX. Nimia nutritio nimiam parit obeſitatem, quae ſolidarum partium infirmitatem

tem aliaque mala comites habet; duo uero in obeſitatis nimiae cura conſideranda et facienda, 1) fibrae nimis laxae conſtringendae atque arctandae; 2) parcior alimentorum et quidem ſicciorum quantitas concedenda, et 3) potulenta, quae bibunt, ſint reſoluentia, neutiquam aquoſa.

XXI. Prius, acidorum et ſalium uolatilium oleoſorum ope, obtineri poteſt; ita felicem et exoptatam aceti in praeſenti caſu operationem, hiſtoria, quam Famianvs Strada (f) affert, confirmat.

XXII. Nutritio inaequalis eſt, ubi alia pars prae alia plus ſucci nutricii recipit; unde contabeſcit alia, alia intumeſcit, uti in rachitide, et atrophia ſuperiorum cum hydrope inferiorum coniuncta obſeruamus.

XXIII. Rachitis, eſt atrophiae particularis, cum extraordinaria capitis magnitudine, pectoris anguſtia, abdominis intumeſcentia, cartilaginis enſiformis prominentia, ſpinae et oſſium incuruatione, ac nodoſis in iuncturis pedum et manuum concretionibus, complicatae ſpecies, ab inaequali ſucci nutricii diſtributione proueniens.

XXIV. Huius mali fundamentum in ſuccorum

(f) lib. 8. de bello-Belgico.

corum uiſciditate conſiſtit, unde partes, quae compactiores atque anguſtiores, obſtruuntur, diſtorquentur atque exareſcunt; eae uero, quae laxiores et minorem uim reſiſtendi habent, replentur, diſtenduntur atque intumeſcunt.

XXV. Quicquid hic agere poteſt Medicus, id omne remediorum diluentium ac reſoluentium uſu nititur, ac ea penitus adhibenda ſunt, quae §. 92. cap. IV. et §. 40. cap. VI. laudata; quibus congrua topica adiungi poſſunt, nimirum illis partibus, quae ab uberiore ſucci nutricii affluxu, dilatatae, applicanda uolatilia atque adſtringentia; emollientia uero et aquoſa tepida illis partibus, quae aridiores et contractae, conducunt.

XXVI. Frequenter quoque haec cauſa in tabe uniuerſali obſeruatur, ſed non omnis atrophiae origo ab eadem dependet, plures ſane occurrunt, quae ſumma ſedulitate perquirendae, et conuenientibus ſubſidiis tollendae.

XXVII. Triplici potiſſimum modo tabes generatur, 1) ſucci nutricii defectu, 2) mala illius qualitate, 3) impedita ſucci nutricii ſecretione, unione, aut iam uniti auulſione.

XXVIII. Deficit autem ſuccus nutricius, uel ob inopiam ſufficientis alimenti, aut ob uentri-

uentriculi atoniam, et alimentorum; uel per uomitum, aut lienteriam, coeliacam, reiectionem, aut quando idem a uermibus conſumitur.

XXIX. Oritur pariter ſucci nutricii defectus, dum idem copioſa ſaliuae profuſione, ex obſeruationibus Rvyschii, (g) ſudore colliquatiuo, diabete, excretionibus nimiis ſeminis, haemorrhagiis, exhauritur.

XXX. Mala qualitas ſucci nutricii, uel in nimia tenuitate aut craſſitie conſiſtit; uterque ad nutritionis negotium minus aptus; uiſcidus difficulter ſecernitur, et obſtruit potius, quam nutrit; nimis tenuis atque acris facile quidem ſecernitur, ſed ſecretus difficulter apponitur, atque in auras abit.

XXXI. Secretio uero atque unio ſucci nutricii impeditur meatuum arctitudine et fibrarum rigiditate, qualis tabes, teſte Prospero Alpino, Aegyptiis, ob nimium aeris feruorem et ſiccitatem, familiaris eſt.

XXXII. Frequentiſſime tabes aliorum morborum, ulceris, ſcirrhi, hydropis, obſtructionis menſium, gonorrhoeae, luis uenereae, dyſenteriae eſt ſymptoma, et ſublato morbo originali, ſua ſponte ceſſat.

XXXIII. In cauſis occaſionalibus magna quoque

(g) Aduerſ. Anat. Dec. 2. obſ. 5. p. 14. et 15.

quoque occurrit uarietas, eandem nimio motu alius, alius uita ſedentaria contraxit hic per copioſiorem ſpiritus uini ingurgitationem, ille per nimiam ab omni potu lento abſtinentiam contabuit; a nerui punctura alius, (h) alius a felum conſuetudine (i) intabem incidit.

XXXIV. Qualem igitur cenſuram, lac, decantata tabis panacea, mereatur, antecedentia ſatis probant; lac utique in tabis, non omnis uero, cura conducit; preaſertim, quando limphae gelatinoſae in corpore adeſt defectus, et nullum in partibus obſtaculum haeret, in ſpecie, ſi idem ſacharo et croco imbutum coagulationi minus obnoxium ſit, prodeſt.

XXXV. Poteſt hac ratione uſu lactis, cum abſorbentibus, magneſia nempe, iuncti, tabes a mercuriali ſaliuatione excitata curari; eodem uero, fruſtra, imo cum detrimento, uteris, in atrophia, quam ſuccorum uiſciditas induxit.

XXXVI. Illam potius curabit ſaliuatio, quae in antecedenti paragrapho, tanquam cauſa tabis adducta; nulla enim praeſtantiora ad uiſcidae maſſae reſolutionem atque expurgationem remedia habemus, quam

(h) uid. Langius Oper. Med. P. 2. l. 1. p. 71. (i) Scriuerus in zufälligen Andachten Cent. 1 Meditat. 49. p. 177.

quam mercurialia, quae cum decoctis lignorum combinata, in praeſenti caſu optima atrophiae medicamenta ſunt.

XXXVII. Vbi uero nimia tenuitas et ſalium exceſſus atque acrimonia nutritioni corporis impedimento eſt, ad abſorbentia, gelatinoſa, mucilaginoſa, ſeroſa atque oleoſa confugiendum, et ſimul diaeta, quae acrimoniae corrigendae ſufficit, ſecundum §. 94 et ſequ. Cap. IV. ordinanda.

XXXVIII. In tabe, quae nimiam fibrarum rigiditatem et ſtricturam ſequitur, uti ſupra §. 31. exemplo Aegyptiorum probaui, nihil magis conuenit, quam balnea atque inunctiones, quo fibrae aridae et nimis compactae relaxentur, et ad uberius nutrimentum recipiendum aptae reddantur.

XXXIX. Anthelmintica, quorum §. 152. et ſequ. Cap. III. facta mentio, requirit tabis a uermibus ortae cura.

XL. Ita porro, tabem a plethora, quam aduertit Hippocrates, (k) curat uenaeſectio. Ac alia tabis origo, alia cauſa materialis, aliis, quae in antecedentibus iam expoſita, eget ſubſidiis.

(k) lib. 5. Epidem. no. 6.

Capvt XIV.

DE LACTIS SECRETIONE.

I.

Inter omnes ſuccos, qui in toto corpore inueniuntur, nullus, qui lacte, ad nutritionis negotium aptior eſſet, reperitur.

II. Infantes hoc modo, qui lacte nutriuntur, breui conuenientem acquirunt magnitudinem; lactantes autem admodum graciles et retorridae euadunt.

III. Lac, eſt limpha ſanguinis gelatinoſa, particulis oleoſis intime reſolutis imbuta.

IV. Multi quidem cum Prospero Martiano (1) lac, ipſum eſſe chylum, ex illa perhibent ratione, quia ex ſanguine nullo modo lac confici queat.

V. Infirma ſane argumentatio; nulla ratione atque operatione chymica ex ſanguine liquor genitalis, lotium et bilis praeparari poteſt, ergo illi ſucci e ſanguine non ſeparantur; nec lac, nec ſemen, nec lotium atque bilis formaliter, ſed materialiter ſaltem in ſanguine reperiuntur.

VI. Lac

(1) Comment. in Hippocratem p. 32.

VI. Lac autem, chylum ipſum non eſſe, uariae rationes et phaenomena docent, inter quae, 1) quod per totum ferme corpus chylus cum ſanguine circumagatur, antequam ad mammas deriuetur; 2) quod lactis ſecretio, etiam extra tempus chylificationis, continuetur, uti in puerpera, quae per totum diem alimenta nulla aſſumens uberiorem lactis copiam in mammis habebat, obſeruaui; 3) quod nimius fluxus lochiorum lactis diminuat quantitatem; 4) quod loco lactis ſaepe ſanguis e mammis effluat, et 5) retropulſo lacte largiora lochia ſecedant.

VII. Organa ſecretoria et promptuaria lactis, ſunt mammae, duo corpora rotunda, utrinque inſtar pomorum in thorace eminentia, ſubſtantia cauernoſa et tubuloſa praedita, lactis ſecretioni, et infantis, quem peperit mater, nutritioni deſtinata.

VIII. Tota mammarum moles innumeris ramis arterioſis et uenoſis a ſubclauiis atque axillaribus prodeuntibus, et tubulis lacteis in papillam deſinentibus conſtat, et intimus, inter lacteorum initia et arteriarum fines, nexus adeſt, ut ſerum ſanguinis oleoſis particulis ſaturatum ex apicibus arterioſis in uaſa lactea transferri queat.

IX. Chylus enim, non immediate, uti nonnullis perſuaſum, ex ductu thoracico

ad mammas deriuatur, nec in mammis peculiaris facultas χαλακτοποιητικὴ ſeu fermentum reſidet, ſed ſeroſa et oleoſa ſanguinis portio lac conſtituens, a ſanguine per arterias mammarias aduecto, transcolatione mechanica, ſeparatur.

X. His confirmandis ſeruiunt tam phaenomena naturalia, quam praeternaturalia; lac primum, ob pororum ſecretoriorum arctitudinem, ſeroſum et minus pingue eſt, poris uero, ſuctione et ſuccorum a tergo ſequentium preſſione, magis dilatatis, lac ſaturatius et pinguius euadit; deinceps lactis odor, color, ſapor et conſiſtentia, pro uaria ſanguinis indole, uariant; praeſente mammae ſcirrho, penitus impeditur lactis ſecretio; idem quoque in mammarum inflammatione obſeruatur.

XI. Mammae igitur non alium in finem conditae, quam ut in illis poſt partum lac ſecernatur, ſecretum ad infantis nutritionem impendatur; peſſime hinc illae matres agunt, quae non ualetudinis, ſed uoluptatis ui permotae, ſuos, quos pepererunt infantes, nutricibus alendos tradunt.

XII. Matris lac, ſi ſana, infantis naturae conuenientiſſimum, eandem quippe cum ſucco amnii, quo foetus in utero nutritus fuit, obtinens indolem; ſed mutandum hoc con-

conſilium, ſi mater phtiſi, lue uenerea, aut alio ſimili morbo laboret.

XIII. In lactante duo neceſſaria ſunt, 1) bona lactis qualitas, 2) ſufficiens quantitas.

XIV. Bona lactis qualitas ex conſiſtentia, ſapore, odore et colore naturali cognoſcitur.

XV. Ad naturalem lactis conſiſtentiam, requiritur legitima inter ſeroſas, oleoſas et terreas particulas proportio, ita, ut neque nimis aquoſum et tenue, neque nimis caſeoſum et craſſum ſit.

XVI. Modus autem, quem ad naturalem lactis conſiſtentiam diiudicandam adhibent, uarius eſt; alii cum Aetio filum ſericeum aut cannabinum lacti immergunt, et obſeruant, num aequaliter lateribus illius adhaereat, et ſucceſſiue deſtillet, uel omne mox iterum delabatur, aut num glutinis inſtar firmiter adhaereat; alii ungui uel conuexae uitri aut patinae parti guttulam lactis imponunt, atque ad ea, quae occaſione fili adduxi, attendunt; alii cum Oribasio ope coaguli uulgaris admixti naturalem lactis conſiſtentiam explorandam eſſe, perhibent.

XVII. Naturalis lactis ſapor dulcis et omnis acrimoniae expers debet eſſe; reiiciendum igitur omne lac, quod deguſtatum

notabilem ſalſedinem, uel ſaporis amaricantis aut auſteri impreſſionem in lingua relinquit; nihil enim magis tenerae infantum machinae officit, quam exceſſus ſalium; unde quoque multi infantes antea perfecte ſani conuulſionibus tentantur, nec prius, quam mutata nutrice et lacte, curantur.

XVIII. In lacte naturali nullus debet adeſſe odor, cum idem ex maxima ſeri oleo ſaturati copia et paucis particulis ſalinis et ſulphureis iisque a ſeroſis ita temperatis, ut omni ui ſtimulandi priuatae ſint, conſtet. Si uero lac acidi quid, aut putridi, planeque coenoſi ſpiret, certum corruptionis, per ſtagnationem, aut ſalis et ſulphuris exceſſum, ſignum eſt.

XIX. Qualis debeat naturalis lactis color eſſe, omnibus notum eſt, non tamen ea albedo in lacte humano adeſt, quam in uaccino deprehendimus; minime uero lac approbandum, in quo uiridem, flauum, rubrum, aut nigricantem colorem obſeruamus, haec enim maximam ſuccorum corruptionem denotant.

XX. Illa uero lactis corruptio, aut a ſanguinis dyſcraſia, uel mala alimentorum et potulentorum qualitate, uel a morbo mammarum dependet; mutandus igitur uictus, corrigendus maſſae ſanguineae ſcorbutus, et tollendae mammarum infirmitates.

XXI.

XXI. Ad eosdem fontes in lactis defectcu reſpiciendum; nam uel minus ſufficiens, aut nullum ſanguini communicatur nutrimentum, uel nulla lactis materia, aut eadem communicata per aliam excernitur et profunditur uiam; uel in ſufficiente quantitate praeſens ob ſcirrhum aut alium mammae morbum, ſecerni nequit.

XXII. Haec tria igitur, ſi lac deficiens uis reparare, tenenda, 1) ſufficiens ſuccus nutricius corpori communicandus; 2) eiusdem motus ad mammas promouendus; 3) ſecretionis impedimenta in mammis tollenda.

XXIII. Illa, quae materiam lactis ſecretioni accommodatam corpori communicant, galactophora dicuntur, talia uero ſunt, lac recens ſacharo et croco conditum, cremor lactis, ptiſanae ex auena et hordeo cum lacte coctis, oryza, piſtaceae, pineae, amygdalae dulces, iuſcula carnium tenuiorum et pinguiorum, oua ſorbilia.

XIV. Determinatur autem affluxus huius ſucci ad mammas leniore totius corporis agitatione, mammarum fotu, frictione et ſuctione, quibus illae partes relaxatae minus ſuccorum affluentium preſſioni reſiſtere poſſunt.

XXV. Iisdem ſubſidiis ſucci affluentis ſecretio

 cretio

cretio promouetur, ſed haec minime ſuffi-ciunt; multiplices enim ſunt morbi, uariae-que eorum cauſae, quibus lactis in mam-mis ſeparatio impeditur.

XXVI. Notiſſimi et frequentiſſimi mam-marum morbi ſunt, cancer, ulcus, inflam-matio, eryſipelas; horum uero omnium explicatio et medela cap. VII. iam tradita; haec igitur ad praeſentes partes applicanda.

Capvt XV.

DE SECRETIONE BILIS.

I.

Bilem, Plinivs peſſimi excrementum ſanguinis, et Mvnnickivs (m) prima-rium maſſae ſanguineae fermentum appel-labat; uterque uero a recto aberrauit, hic nimis laudando, ille nimis uituperando.

II. Bilis nihil aliud eſt, quam ſal ſalſum uolatile atque oleoſum, particulis ſeroſis di-lutum.

III. In ſanguine bilis formaliter non re-peritur, ſunt tamen in eodem particulae ſa-lino-ſulphureae, quae ope motus excuſſae atque exſolutae, et in hepate a ſanguine ſe-cretae, bilem conſtituunt.

IV. Hepar itaque, non ſanguificationis orga-

(m) lib. de Re Anatom. p. 159.

organum, ſed maſſae bilioſae cribrum et colatorium exiſtit.

V. Nec glanduloſa, ſed uaſculoſa et tubuloſa hepar ſubſtantia conſtat; eſt enim hepar, uiſcus maximum, rubicundum, in dextro ſitum hypochondrio, ex uaſis omnis generis, potiſſimum uenae portae propaginibus, atque ex iisdem egredientibus ductibus cholidochis contextum, bilis ſecretioni deſtinatum.

VI. Omnis materiae bilioſae ſecretio unius uenae portae ramis in acceptum eſt ferenda nihilque bilis ab arteria hepatica ſeparatur.

VII. Non in hepate ſolum, ſed in fellea quoque ueſicula per propagatos portae ramos, qui collum ueſicae in magna obſident copia, pars bilis ſegregatur.

VIII. Diſtinguenda bilis hepatica a cyſtica; cyſtica enim, maſſam craſſiorem, ualde amaram, acrem et nigricantem exhibet; hepatica uero colore, odore et ſapore parum a limpha differt, et ſi quem habet ſaporem, ille leuiſſime amarulentus eſt.

IX. Bilis, non, uti ſentiebant ueteres, ab hepate et ueſicula fellea aſſugitur; nec in ueſicula, ex Backii (n) et Sylvii (o) mente ope peculiaris fermenti, elaboratur; nec, quae Malpighii eſt ſententia, per peculiares

(n) Tract. de Corde Cap. IV. p. 80. (o) Diſſ. VI. §. 36.

liares glandulas ſeparatur, ſed bilis ſecretio ab illo ſanguinis circulo, qui uenae portae ſubſidio per hepar peragitur, et a tomentoſis huius uaſis extremitatibus dependet.

X. Multi quidem, uel a ſolo ſanguine per arteriam hepaticam aduecto, uel ab arterioſo et eo ſimul, quem uena portae uehit, bilis ſecretionem deducunt, ſed Malpighii (p) experimentum, quo intimum inter propagines uenae portae et tubulos cholidochos commercium, excluſis ab eodem arteriae hepaticae ramis, conſtat, contrarium omnino probat.

XI. Nullo penitus aſſenſu eorum ſententia digna, qui cum Moebio (q) aſſerunt, a chyli ſubſtantia oleoſa bilem ſeparari; nam, quo parcior chyli quantitas in ſanguinem deriuatur, eo uberior bilis copia generatur et ſeparatur, uti in diarrhoea bilioſa cum appetitu proſtrato coniuncta animaduertimus.

XII. Sapientiſſime et in multiplex emolumentum haec ſecretio inſtituta; haud poſtremus uero uſus eſt, ut maſſa ſalino-acris et ſulphurea, nutritioni corporis minus accommodata, ad bonam ſanguinis conſtitutionem

(p) Tract. de Struct. Viſcer. p. 237. (q) Fundament. Medicinae p. 358.

tionem conſeruandam e corpore eliminetur.

XIII. Non omnis bilis, quae in hepate ſecreta ad ueſicam felleam partim, partim ad inteſtinum duodenum deriuatur, e corpore remouetur, ſed ſubtilior et ſeroſa illius pars cum chylo mixta denuo in ſanguinem ablegatur.

XIV. Proinde non audiendus eſt Nentervs, (r) qui nihil bilis cum chylo miſceri atque ad ſanguinem deriuari, affirmat, quia in eodem nulla amarities, nulla flauedo obſeruetur; confundit autem Nentervs bilem hepaticam cum cyſtica.

XV. Nequaquam autem illum in finem, tenuior bilis pars cum chylo mixta ad ſanguinem reducitur, ut ex Sylvii opinione, fermentum uitale reſtauret; uel, ex ſententia Wilhelmi *van* Rhyne, (s) ſpiritus animales refocillet, ſed ut ſanguis in debita tenuitate conſeruetur.

XVI. Sanguinis tenuitas a chylo intime reſoluto dependet, ad chyli uero reſolutionem ſufficiens bilis quantitas et bona qualitas requritur; unde bilis adiumento, chyli elaboratio abſoluitur, et eius ſecretio promouetur.

XVII.

(r) Theoria hominis ſani cap. IV. Membr. 4. Art. 1. punct. 10. §. 1. p. 171. (s) Meditat in Hippocratis textum p. 302.

XVII. Albus uero chyli color, uti o-
pinatur Vievssenivs a uolatili bilis ſul-
phure haud deriuandus; nec efferueſcen-
tiae ergo, uti Willisivs, Tackivs et Die-
merbroeckivs ſentiunt, ad inteſtina de-
ducitur.

XVIII. Bilis potius, ſi ad functionem in-
teſtinorum craſſorum reſpicimus, clyſteris
naturalis munus obit, ac irritando fibras
motrices inteſtinorum, motum periſtalti-
cum auget, feces colliquat, atque earum e
corpore reiectionem promouet.

XIX. Ordinaria bilis uia, eſt ex hepate
per ductus cholidochos ad hepaticum ma-
iorem, atque ex eodem ad cholidochum
communem, et per hunc ad inteſtinum du-
odenum.

XX. Ex ueſicula fellea quoque, per du-
ctum cyſticum in cholidochum, et per hunc
ad inteſtina, bilis, uentriculo cibis nimis di-
ſtento, deriuatur.

XXI. Multum in negotio ſeparationis bi-
lis, lieni tribuitur; ac plurimi recentiorum
aſſerunt, quod in praeparatione ſanguinis
ad meliorem bilis ſecretionem, praecipua
huius functio conſiſtat.

XXII. Lien, eſt uiſcus pallido-rubrum ua-
ſculo-

ſculoſum et fibroſum, in ſiniſtro ſitum hypochondrio, ſanguinis attritioni et facilitandae ad ſuperiora reductioni inſeruiens.

XXIII. Male igitur lieni a Malpighio glandulae, et a Vesalio et Highmoro cellulae tribuuntur; ille a praeternaturali ad naturalem, hi uero a fabrica lienis uituli ad humani ſtructuram concluſionem formarunt.

XXIV. Nec leuiores ſunt errores, quos in enodando lienis uſu, plurimi commiſerunt; alii cum Varolio lienem pro melancholicarum ſentina impuritatum habent; alii in eodem fermentum uolatile confici, cum Wilisio perhibent; multi e contra menſtruum uentriculi acidum hic elaborari, cum Hellmontio affirmant; multi ſplenem mercurialis praeparationi humoris inſeruire, cum Blasio, uel mucilaginis ſeparationi, cum Clopt. Havers, aut limphae elaborationi, cum Hippocrate, ſtatuunt; nec deſunt, qui cum Democrito atque Erasistrato omnem lieni uſum denegant.

XXV. Lienis uero praecipuus uſus eſt, ſanguinem atterere, et tenuiorem atque ad circulationem aptiorem reddere, et hoc 1) ex ſtructura, 2) ex ſanguinis redeuntis conſtitutione probare poſſumus.

XXVI.

XXVI. Illa diuiſione, non ſaltem ſangui-nis ad ſuperiora reductio, ſed bilis quoque ſecretio et ſeri tenuis exhalatio ſiue perſpi-ratio, in qua praecipuum lienis uſum con-ſiſtere, Rivinvs (t) autumat, adiuuatur.

XXVII. Quando igitur fibroſa lienis com-pages ad ſuccos uiſcidos reſoluendos minus ſufficit, obſtructio, inflammatio, ſcirrhus, ex-ulceratio, et melancholia, quam dicunt hy-pochondriacam, generatur.

XXVIII. Omnis melancholiae origo non in liene quaerenda, nec ſemper hic accuſan-dum hepar; ſaepe enim utrumque uiſcus, ſaepe alterutrum, ſaepe nullum de illis in culpa eſt.

XXIX. Ita quoque idem cum ictero compa-ratum, qui frequenter ab hepatis obſtructi-one illius alioque morbo ortum ducit; haud raro autem hepar in allegata infirmitate nul-lo laborat uitio, uti idem uberius in capite VI. a §. 25. ad 36. explicatum.

XXX. Praeterea hepar uariis aliis infir-mitatibus obnoxium eſt, nempe inflamma-tioni, fluxui, qui ab illo hepaticus dicitur, empyemati tabi, hydropi, ſcirrho; de fluxu he-patico paucis meam mentem §. 134. cap. III. explicaui; quid in reliquis obſeruandum, breuiter indicabo.

XXXI.

(t) in Diſſert. de genuino lienis uſu.

XXXI. Inflammatio hepatis, hepatitis dicta, notat impeditum ſanguinis per hepar circulum, quem ex dolore punctorio, calore et tumore praeternaturali hypochondrii ſiniſtri, et febri acuta cognoſcimus.

XXXII. Eadem cauſa, eadem, cura quae §. 1. et ſequ. §. 16. et ſequ. §. 59. et ſequ. §. 70. et ſequ. Cap. VII. et §. 32 et ſequ. Cap. XI. adducta, hic locum habet.

XXXIII. In ceteris uero morbis, poſtquam materia peccans ſufficienter correcta atque ad excretionem praeparata, uel emetica, uel purgantia, optima hepatica et cholagoga, conducunt, de quibus iam §. 226. et ſequ. cap. III. actum.

XXXIV. Haec autem, non promiſcue in ſic dictis morbis bilioſis adhibenda, nam ſaepius bilis omnio inſons eſt, et ſi peccat, alia penitus ratione corrigenda atque euacuanda.

XXXV. Illud illis cumprimis inculcandum, qui, quando aegroti amarum percipiunt ſaporem cum ſiti coniunctum, culpam omnem in bilis regurgitationem coniicientes illico emeticum praeſcribunt, et ſi poſt illius uſum oris amarities non ceſſat, alterum tertiumue adhibent.

XXXVI. Bilis uero ex inteſtinis ad uentriculum regurgitatio, repugnat in ſtatu naturali

turali legibus mechanicis; et ſi quaedam materia bilioſa in uentriculo haeret, huius origo a cruditatibus alimentorum pinguium et acidorum, uel a ſanguine tali materia referto deriuanda.

XXXVII. Si itaque in tali rerum ſtatu emeticum adhibetur, ſaepius hypercatharſis et paſſio cholerica excitatur.

XXXVIII. Melius huiusmodi aegroto proſpicietur, ſi dyſcraſiam bilioſam, per ea, quae §. 59. §. 77. §. 187. cap. III. §. 94. et 95. cap. IV. §. 110. cap. V. adducta, corrigamus atque euacuemus.

Capvt XVI.

DE LOTII SECRETIONE.

I.

Non immerito lotium ſudor renum dicitur; eadem enim materia ſecernenda, idem modus ſecretionis in utroque deprehenditur.

II. Materia urinae, eſt limpha ſanguinis ſalina, particulis terreis et ſulphureis imbuta.

III. Duo itaque in urina conſideranda, con-

continens, ſeu uehiculum, nempe limpha, et contenta, nimirum particulae terreae, ſalinae et ſulphureae, uti Bellini (u) experimentum dilucide probat.

IV. Diſtinguunt alias in urinam ſanguinis et potus, quod rei naturae penitus congruum, praeſertim, ſi conſideremus, urinam a paſtu aquoſam reddi.

V. Potus uero, non immediate ex uentriculo atque inteſtinis ad renes uel ueſicam deriuatur, ſed per ordinariam uiam in ſanguinem, et cum eo ex corde ad renes commeat.

VI. Frequentior autem atque uberior urinae ſecretio, 1) a natura liquidorum, 2) a leuiore eorum cum ſanguine cohaeſione, et 3) a relaxatione pororum renalium, arceſſenda.

VII. Magna quoque hic ſalium uis eſt, quae nimis ſtimulando, ſuccos colliquant, eorum motum accelerant, et urinae ſecretionem ualde augent, uti diabetis exemplo demonſtrari poteſt.

VIII. Variat hac ratione urinae quantitas et qualitas, pro uaria maſſae ſanguineae et potulentorum natura, ac pro uaria aeris et reliquarum circumſtantiarum conſtitutione.

IX. Organum, in quo lotium a ſanguine ſeparatur, ſunt renes, faſciculi tubulorum

 ex

(u) lib. de Vrinis p. 7.

ex arteriis emulgentibus egredientium, ſeu uiſcera rubicunda, uaſculoſo-fiſtuloſa, phaſeolorum figuram habentia, utrinque in lumbis ad duas infimas coſtas ſpurias collocata, urinae ſecretioni deſtinata.

X. Cauſa efficiens ſecretionis urinae in renibus, eſt circulus ſanguinis, et rectus pororum ex tomentoſis arteriarum extremitatibus in tubulos renum hiatus.

XI. Vrina hac ratione in renibus ſecreta, per fiſtulas renales ad peluim, exiguam renum cauitatem membranaceam, ex tubulorum concurſu conflatam, confluit, et inde per ureteres ad ueſicam urinariam dimittitur.

XII. Vreteres, ſunt duo canales membranacei, teretes, calamum ſcriptorium craſſitie aequantes, inaequalis in progreſſu diametri, tunica muſculoſa, quo urinam propellere queant, praediti.

XIII. Ordinarium lotii receptaculum, eſt ueſica urinaria, in qua per aliquod temporis ſpatium commoratur; haec autem nobis ſacculum membranaceum, pyriformem, in abdominis pelui ſitum, atque in fundum et ceruicem diſtinctum ſiſtit.

XIV. In ueſica urinaria, cumprimis fundi et ceruicis ſtructura conſiderationem meretur; fundus enim tunica muſculoſa, quae muſculus compreſſor appellatur, in ſtructus

ctus, quando a lotii uel copia, uel acrimonia irritatur, ſe contrahit, et comprimendo ueſicam, lotium e fundo ad ceruicem propellit, ac per eandem in urethram exprimit.

XV. Ceruix muſculum habet antagoniſtam, qui ſphincter dicitur; et eo ipſo, dum compreſſor fundi ſe contrahit, ille relaxatur, urinamque emittit; relaxato iterum muſculo compreſſore, ille ſe contrahit, et ceruicem claudit.

XVI. His ſubſidiis et his organis ſecernitur urina, quo maſſa ſanguinea, a ſero abundante et huic permixtis particulis terreis, ſalinis et ſulphureis liberetur.

XVII. Variat urinae ſecretae quantitas, pro uaria aeris, uictus et idioſyncraſiae conſtitutione; praecipue tranſpiratio largior parcioris lotii, et copioſius lotium remisſioris perſpirationis cauſa exiſtit.

XVIII. Color urinae naturalis citrinus eſt, et a recta mixtione particularum aquoſarum, terrearum et ſalino-ſulphurearum dependet.

XIX. Defectus aut exceſſus allegatarum particularum uarie naturalem urinae colorem mutat, et ſi ſeroſae abundent particulae, ceterae uero deficiant, urina aquoſa exiſtit.

XX. Ab exceſſu uero particularum ter-

rearum et ſalino-ſulphurearum uario, nimis rubicunda, crocea, nigra et uarie colorata urina redditur.

XXI. Vrinae inſpectio non penitus repudianda, ex illa enim allegatarum particularum, quibus urina conſtat, ſeparatio perſpici poteſt; haec uero minime aetatem, ſexum, grauiditatem, ſolidorum ſtatum ac morbi ſpeciem indicat.

XXII. Nunquam igitur ſola urinae inſpectio ſuſcipienda, ſed eadem cum aliis ſignis iam perſpectis conferenda.

XXIII. Debet enim iudicium ex urina, naturalem cum praeternaturali comparando, formari; haec uero illi naturalis, illa huic praeternaturalis eſt.

XXIV. Nec aliquid certi ex urinae ſedimento, ſuſpenſione et nubecula cognoſci poteſt, illa enim particulas craſſiores et tenuiores, iam fundum petentes, iam in medio ſuſpenſas, iam ad ſuperiora eleuatas denotant.

XXV. Ad omnia ſedulo attende, ne urinam coctam cum colliquatiua confundas, uel uitium, quod in renibus, ureteribus, ueſica urinaria, uel urethra haeret, toti corpori imputes.

XXVI. Varia ſunt mala, quae partes urinae ſecretioni, atque excretioni deſtinatas infe-

infeſtant, inter quae, nephritis, lithiaſis, mictus cruentus, ſtranguria, dyſuria, iſchuria ſeu auria, incontinentia urinae, diabetes, ordinem ducunt.

XXVII. Nephritis triplicem habet ſignificationem, 1) quosuis renum morbos, 2) dolorem renum, quem calculi, obſtruendo peluim atque ureteres, inducunt, 3) renum inflammationem, denotat.

XXIIX. Lithiaſis, tam renum, quam ueſicae calculus eſt, qui, ſi maior atque in anguſtiora loca adigatur, eroſionem, inflammationem, uomitum aliaque per neruos irritatos mala excitat.

XXIX. Mictus cruentus, eſt ſanguinis lotio permixti excretio, ex ruptis uaſis ſanguiferis renum, uretherum, ueſicae, urethrae, aut dilatatis eorum poris proueniens.

XXX. Stranguria, eſt ueſicae urinariae teneſmus, quo lotium cum continuo ſtimulo et dolore guttatim redditur, ab aſſidua irritatione ortum ducens.

XXXI. Dyſuria, eſt difficilis et doloroſa urinae excretio, qua ea cum ardore et magno labore exprimitur, atque interdum affatim, interdum paulatim redditur, a ſphincteris ſpaſmo inducta.

XXXII. Iſchuria, eſt urinae ſuppreſſio, qua

 eius

eius nihil per uias ordinarias exit, uel ab impedita ſecretione, aut ſecretae excluſione dependens.

XXXIII. Incontinentia urinae, eſt inuoluntarium urinae profluuium, doloris expers, a ſphincteris uulnere, callo aut paralyſi originem habens.

XXXIV. Diabetes, eſt crebrior, ac ratione potus aſſumti, copioſior mictio, cum oris ſiccitate, ſiti, aeſtu ac totius corporis marcore, a ſuccorum gelatinoſorum colliquatione et pororum renalium laxitate dependens.

XXXV. Ad praeſentes affectus curandos ſic dicta diuretica et lithontriptica non ſufficiunt, nec ſemper conducunt, uti in dolore renum, quem calculus excitauit, obſeruamus.

XXXVI. Specifica lithontriptica, hoc eſt, remedia calculos comminuentia, quae tuto interne adhiberi poſſent, non proſtant.

XXXVII. Nec ſpecifica diuretica dantur, ſed omnia ea, quae tranſpirationem promouent, ſunt diuretica, ſi beneficio aeris frigidi, perſpirationem inſenſibilem imminuimus.

XXXIIX. Adeoque in curandis morbis, qui a calculo in anguſta loca addacto, proueniunt, minime remedia acriora, quae lithontriptica dicunt, ſunt adhibenda, ſed oleoſis

potius

potius et ſeroſis partes criſpatae laxandae, ac cum uehementia doloris praeſentiſſimum poſtulet auxilium, ſimul fotus, balnea, inunctiones in ſubſidium uocare decet.

XXXIX. Inflammatio, ſcirrhus, exulceratio renum iisdem cognoſcuntur et curantur ſubſidiis, quae in toto capite ſeptimo explicata.

XL. In diabetis cura 1) acre reſoluens temperandum atque implicandum; 2) pori renum laxiores roborandi atque arctandi; primum gelatinoſis, ſeroſis, oleoſis, mucilaginoſis atque acidis obtineri poteſt; alterum terreis et quibusuis auſteris adſtringentibus perficiendum.

XLI. Diuretica uero, in morbis, qui uel ab impedita urinae ſecretione, aut excretione dependent, requiruntur; eadem autem cauſae et morbi genio accommodanda.

XLII. Alia diuretica, talia nempe, quae uaſa obſtructa et nimis contracta relaxant, in iſchuria, quae tubulorum renalium ſpaſmos ſequitur, deſiderantur; huius farinae ſunt, decocta, emulſiones et olea ex herbis et ſeminibus maluae, lactucae, parietariae, mercurialis, foenu graeci, iuglandibus atque oliuis parata, atque interne et externe uſurpata.

XLIII. Alia diuretica, huiusmodi nimirum, quae ſanguinem diſſoluunt et diluunt

ſuppreſſa urinae ſecretio atque excretio ab humorum uiſciditate dependens, neceſſaria habet; huc referenda ſalia fixa ac uolatilia, ammoniacalia, ſaponacea ſeroſis iuncta, aquae minerales.

XLIV. Alia, fortiora ſcilicet ſtimulantia, maſſa uiſcida et ſeroſa tubulis renalibus firmius impacta requirit; talia uero ſunt, ſal ſuccini, cantharides, millepedes, ſpiritus et oleum deſtillatum iuniperi, therebinthina.

XLV. His uero ſpecifica uirtus determinandi affluxum ſeri ad renes nequaquam tribuenda; eadem quippe ſaepius, u. g. in inflammatione; obſtructione a calculo, non fruſtra modo, ſed cum ſummo quoque detrimento praeſcribuntur.

XLVI. Ea potius hic ſuſcipere decet, quae ſupra §. 39. ordinata, et ſi calculus in ceruice ueſicae haeret, immiſſo cathetere, idem in fundum protrudendus, uel quod melius adhuc, ſectione eximendus.

XLVII. Quam facilis autem cyſtotomia, tam difficilis, periculoſa atque impoſſibilis, quam Rovssetvs commendat, nephrotomia.

Capvt XVII.

de Flvxv Menstrvo.

I. De

I.

DE ueneni, quod acerrimum credebant, labe, ſanguis menſtruus plurimis antiquorum Medicorum ſemper ſuſpectus fuit; et hoc commentum a multis recentiorum adhuc acerrime propugnatur.

II. Eſt utique ſanguis menſtruus uenenatus in iis, quae lue uenerea alioue ſimili morbo laborant; ſed ab hac corruptionis ſuſpicione uirginum et foeminarum ſanarum ſanguis menſtruus liber debet eſſe.

III. Plinianae proinde fabulae ſunt, quae de miris foeminarum ſanguinem menſtruum excernentium effectibus traduntur; quo minus enim hiſce ſubſcribamus, ſuadet, 1) huius fluxus, tempore grauiditatis, ſuppreſſio, 2) ſanguinis menſtrui, absque genitalium, partium teneriorum, laeſione, excretio, 3) libera, absque ullo detrimento, cum aliis hominibus conſuetudo, 4) felix experimenti Ludouiciani ſucceſſus.

IV. Talis, ut totum paucis complectar, eſt ſanguis menſtruus, qualis per uniuerſum corpus in uenis atque arteriis uehitur, niſi mora et ſtagnatione in utero uitium contraxerit.

V. Sanguis menſtruus, eſt abundans maſſae purpureae portio, ſingulis menſibus paulatim in ſanguineis uteri uaſis collecta,

quae ex apicibus arterioſis ſeparata per tubulos ſingulares pedetentim in uterum emittitur, et per hunc uaginamque illius foras propellitur, quousque cum debita quantitate conueniens ſanguinis motus reſtituatur.

VI. Efficiens huius fluxus cauſa, non a fermento uteri nitroſo, quae Bayle eſt opinio, nec a motu lunae, nec ab anima, ſed a plethora et ſingulari uteri fabrica deriuanda.

VII. Quo enim mulier ad concipiendum apta, tantum ſuccorum, quantum tam ad proprii corporis, quam ad foetus nutritionem neceſſarium, obtineret, ſingulis menſibus plus ſanguinis in uaſis colligitur, quam corpori prodeſt.

VIII. Ne itaque ſanguis abundans, extra tempus grauiditatis et lactationis, mulieribus incommodum crearet, ſapientiſſime hoc fluxu proſpectum.

IX. Non omnes uirgines et mulieres ſunt plethoricae, hinc nonnullae absque illo fluxu ſanae ſunt et concipiunt, Rhodio, (w) Panarola, (x) Sebizio, (y) Bartholino, (z) Schenckio, (a) Binningero, (b) teſtibus.

X. Men-

(w) Cent. 3. obſ. 4. (x) Pentec. 1. obſ. 15. (y) ſpecim. Pract. Part. 5. Sect. 2. cap. 1. (z) Cent. 4. hiſt. 37. (a) lib. 4. obſ. 1. (b) Ephem. N. C. A. 6. et 7.

X. Menſtruus itaque ſanguis ad conceptionem haud neceſſarius; multo minus mulierum ſemen eſt, ſeu illa, uti quidam ex antiquis ſtatuebant, materia, ex qua ſic dictae partes ſanguineae efformantur.

XI. Plurimae grauidae et lactantes ab hoc fluxu liberae ſunt, quia pars ſanguinis ſeroſa et gelatinoſa foetus nutritioni impenditur.

XII. Tempus, quo in uirginibus menſes prorumpunt, atque in mulieribus iterum ceſſant, uarium eſt; terminus uero ordinarius, quo initium capit fluxus menſtruus, eſt annus decimus quartus ad uigeſimum; annus uero quinquageſimus in plurimis illam purgationem auffert.

XIII. Organum purgationis menſtruae, eſt uterus atque illius uagina; in nonnullis ſola uagina, uti multae foeminae grauidae absque ullo detrimento fluxum menſtruum patientes docent.

XIV. Legitima autem pororum et tubulorum uterinorum conſtitutio ad liberam ſanguinis menſtrui per illas partes excretionem neceſſaria; allegatis enim meatibus a materia glutinoſa impacta occluſis, aliae partes laxiores ab abundante ſanguine diſtenduntur, rumpuntur, et haemoptyſis, uomitus cruentus, ac uariarum partium hemorrhagiae excitantur.

XV. Tan-

XV. Tanta circuli ſanguinis uis eſt, ut occluſa uia ordinaria, ille per alias partes ſibi exitum paret, quo pariter impedito, uaſorum dilatatio, obſtructio, uirium ſuppreſſio, hyſteromania, paſſio hyſterica generantur.

XVI. Eadem et plura adhuc incommoda nimium fluxum menſtruum atque uteri haemorrhagiam ſequuntur; operae igitur pretium, ut paucis ea explicemus remedia, quibus fluxus menſtruus ſuppreſſus reſtituendus, nimius corrigendus.

XVII. Nimii fluxus cauſa 1) a ſuccorum tenuitate atque acrimonia, 2) a plethora, 3) a nimia uaſorum uterinorum dilatatione uel ruptione dependet.

XVIII. In acrimonia, temperantia, nitrata terreſtribus iuncta, quorum §. 35. et ſequ. cap. IV. facta mentio, conducunt; in plethora, nimia quantitas et hinc proueniens preſſio, uenae ſectione minuenda; uaſorum uero et pororum ſecretoriorum laxitati aut uulneri per clyſteres uterinos leuiter adſtringentes et oleoſos ſuccurrendum.

XIX. Plura adhuc expendenda in fluxus menſtrui ſuppreſſione, pluraque hinc emmenagogorum genera conſtituenda; nunc cauſa ſuppreſſi fluxus menſtrui in ſanguine, nunc in uaſis uteri haeret; iam idem malum ab externis, iam ab internis inducitur.

XX. Fre-

XX. Frequenter fluxus menſtrui ſuppreſſio a ſuccorum defectu obſeruatur, optima hinc emmenagoga, alimenta euchyma atque eupepta, quae plethoram, fluxus menſtrui cauſam, inducunt; quo itaque chylus elaborari et in ſanguinem deriuari queat, omnia, quae in primis uiis haerent, obſtacula, iis, quae cap. III. laudata, remouenda.

XXI. Deinceps, ſanguinis menſtrui ſecretio, remotis, quae in utero haerent, obſtaculis, promouenda; hoc autem duplici modo perficiendum, 1) uaſa uteri obſtructa aperiendo, et nimis contracta relaxando, 2) refluxum ſanguinis a uenis inferioribus uerſus cor accelerando.

XXII. Primum obtineri poteſt uino marrubii albi, mirrha, caſtoreo, et remediis ex his et ſimilibus paratis, atque interne uſurpatis, quibus uapores ex herbis aromaticis aquae feruentis adiumento eliciti, nec non clyſteres, fotus et balnea adiungenda.

XXIII. Prius, quam remedia aperientia et ſtimulantia interna adhibeamus, per clyſmata aliaque externa, uaſa uterina ad excretionem diſponenda.

XXIV. Eo facilius deinceps abundans ſanguis per pudenda profluet, quo magis de altera indicatione, nempe ſanguinis per uenas refluxu accelerando, ſimus ſolliciti;

hoc

hoc autem praeſtant frictiones a pedibus ad inguina continuatae, ac lenis et frequens ambulatio.

XXV. Quae igitur ſit cauſa, cur ſic dicta ſpecifica emmenagoga, eſſentia mirrhae, elixir uterinum Crollii, pulegium, meliſſa, marrhubium album, matricaria, artemiſia, ſabina, crocus, ad promouendum fluxum menſtruum non fruſtra modo, ſed cum detrimento praeſcribantur, ex iis, quae iam adduxi, patet.

XXVI. Dehinc in fluxus menſtrui ſuppreſſi reſtitutione, et morborum ex eo natorum cura, conſtitutio aegrotae, indoles peccantis materiae, et ſedes mali accurate a Medico perſpici, et deinceps, ea, quae theſibus antecedentibus commendata, methodo, remoueri debent.

Capvt XIIX.

DE LIQVORIS GENITALIS SECRETIONE.

I.

Liquor genitalis non a ſolidis corporis noſtri partibus auellitur, neque uermiculos naturaliter in ſe continet, nec ideis quibusdam impraegnatur, ſed mechanica ratio-

ratione a ſanguine ſeparatus in teſticulis attenuatur et diuiditur.

II. Diſtinguendus liquor genitalis a muco glandularum proſtatarum, qui ſeminis uehiculum conſtituit.

III. Semen, eſt ſuccus admodum tenuis et limpidus, ſeroſis atque oleoſis particulis defecatiſſimis atque intime reſolutis conſtans, a ſanguine, quem arteriae ſpermaticae adducunt, in teſticulis ſecretus.

IV. Organum ſecretorium, ſunt teſticuli, duo corpora ſphaeroidea, ex longiſſima tubulorum neruoſorum glomi inſtar conuolutorum congerie conflata, extra abdomen in ſcroto contenta.

V. Tuboloſa teſticulorum ſubſtantia ex anguſtiore in ampliorem diametrum abiens, duo corpora oblonga, ad erucae uel bombycis ſimilitudinem ſuperiorem teſticulorum partem ambientia, atque in uas deferens deſinentia, quae epididymides ſeu paraſtatas appellant, conſtituit.

VI. Deriuatur ſemen in teſticulis ſecretum per uas deferens ad ueſiculas ſeminales ac mentulam; uas deferens, ſiue eiaculatorium, eſt canalis neruoſus, ex epididymidum ſubſtantia productus, inaequali praeditus diametro.

VII. Veſiculae ſeminales, ſunt duae capſulae membranaceae, in inferiore colli ueſicae

cae parte diſpoſitae, ſemini recipiendo atque aſſeruando dicatae.

VIII. Diſtinguendae a ueſiculis ſeminalibus glandulae proſtatae, quae ex uno corpore globoſo, duas natiformes exhibente excreſcentias, ante urinariae collum ueſicae collocato, conſtant, et muci, qui ſeminis uehiculum eſt, ſeparationi inſeruiunt.

IX. Continuo per circulum ſanguinis, ſpermaticarum miniſterio arteriarum, ad teſtes ſucci uitales deriuantur, et pars limphae gelatinoſa ab iisdem transcolatione mechanica in teſticulis per tomentoſas arteriarum extremitates ſegregatur, ut tempore coitus in aruum muliebre proiecta ouuli maturi materni foecundationi inſeruiat.

X. Eadem penitus ratione, ouula, quae ſemen muliebre conſtituunt, ope ſucci circulo ſanguinis aduecti et ſecreti, ad debitam magnitudinem et maturitatem proiehuntur, uti idem capite uigeſimo uberius exponetur.

XI. Ex liquoris genitalis principiis cognoſcere poſſumus, quibus rebus titulus ſpermatopaeorum competat; tanquam ſpecifica ſpermatopaea ab antiquis anethum, foeniculum, ciceres, radix ſatyrii, cerebrum paſſeris, teſtes hirci, cerui, canis, galli gallina-

inacei commendantur, ſed haec ſtimulantia partim, partim nutrientia ſunt.

XII. Optimum ſpermatopaeum, eſt bona genitalium conſtitutio, et ſufficiens gelatinae in ſanguine praeſentia.

XIII. Omnia igitur ea, quae largum praebent chylum, et liberam ſanguinis per teſticulos circulationem tuentur, ſunt ſpermatopaea.

XIV. Duplici modo ſeminis ſecretio promoueri poteſt, 1) alimenta euchyma adhibendo, 2) reſiſtentiam in teſticulis, per fotus, balnea, olea et cataplaſmata relaxantia, minuendo.

XV. Sed haec fruſtra adhibentur, quando ſemen continuo praeter uoluntatem effunditur et corrumpitur, uti in pollutione nocturna et gonorrhoea uirulenta ac ſimplici obſeruamus.

XVI. Pollutio nocturna, eſt ſeminis in ſomno excretio, a libidinoſis cogitationibus et fortiore impreſſione dependens.

XVII. Gonorrhoea ſimplex, eſt liquoris genitalis et muci glandularum proſtatarum e membro ſine uoluptate profuſio, a laxitate atque irritatione allegatarum partium ortum ducens.

XVIII. Gonorrhoea uirulenta, eſt humoris uirulenti, ſubflaui, uel ſubuiridis profluuium, a glandularum proſtatarum et penis eroſione excitatum.

XIX. Admodum facile eſt, gonorrhoe-am ſimplicem a uirulenta diſtinguere; li-quor enim, qui in gonorrhoea ſimplici pro-fluit, crudus, aquoſus, albus et foetori expers eſt; in uirulenta autem, ichor flauus uiridis, erodens et foetens excernitur.

XX. Duobus, gonorrhoeae ſimplicis cu-ra abſoluitur, 1) maſſae acris ſtimulantis cor-rectione, 2) ueſicularum ſeminalium et glan-dularum proſtatarum corroboratione; pri-us ſeroſis et nitratis, aliisque, quae ad ſpe-cialis acrimoniae emendationem §. 85. e ſequ. cap. IV. commendauimus, perficien-dum; poſterius autem terreorum, martia-lium et ſaturninorum adiumento, obtinere poſſumus.

XXI. Nunquam ſola ſeroſa, quae quip-pe laxitatem ſolidorum augent, ſed cum ad-ſtringentibus iuncta; nec ſola adſtringentia praeſertim eſaturnina, quae nimis conſtrin-gunt atqu obſtruunt, ſed ſeroſis diluta et mixta, hic adhibenda.

XXII. In gonorrhoea uirulenta, materia ma-ligna impuro contracta coitu tempeſtiue e-uacuanda, et omnibus laborandum uiribus, ut maſſae ſanguineae inquinatio, quam certo certius lues uenerea ſequitur, praecaueatur.

XXIII. Hic omnia adſtringentia, tanquam peſſima uenena fugienda, et primum pilu-lae mercuriales, quarum compoſitio §. 183.

cap.

cap. III. inuenitur, uſurpandae; deinceps decoctum ex ſaluia, lactuca et ſaſſaparilla paratum, cum tinctura metallorum, et puluere, quem aequalis magneſiae et cremoris tartari portio conſtituit, praeſcribendum.

XXIV. Huc quoque pertinent ea, quae iam occaſione luis uenereae §. 58. et 59. cap. VI. commemoraui. Praeterea hic iniectiones liquorum balſamicorum atque abſtergentium in urethram factae praecipuum habent uſum; uitentur uero omnia adſtringentia, et ſola mundificantia ex decocto ſaluiae, cui tantillum tincturae antimonii inſtillatum, iniiciantur.

Capvt XIX.

DE SVCCI PANCREATICI ET SIMILIVM LIQVORVM SECRETIONE.

I.

Limpham tenuem, ſubſalſam, uel omnis ſaporis expertem, in pancreate ſeparari, autopſia anatomica atque experimenta Brvnneri abunde demonſtrant.

II. Acidum, quod dicto liquori Sylvivs tribuit, in ſtatu naturali deſideratur, illeque maximam partem inſipidus eſt.

III. Pancreas, eſt organum illud, in quo dicti liquoris ſecretio perficitur. Pancreas, eſt uiſcus uaſculoſum et glanduloſum, plana

gaudens ſuperficie, prope primam lumborum uertebram, ſub fundo et poſtica uentriculi parte ſitum, limphae peculiaris ſecretioni deſtinatum.

IV. Non glandulae in allegato uiſcere conſtitutae ſecernunt, ſed eaedem limpham ex apicibus arterioſis transcolatam recipiunt, diuidunt et ad ductum pancreaticum duodeno inſertum inteſtino, pro chylo diluendo, deducunt.

V. Nullam ſuccus pancreaticus in ſtatu naturali cum bile excitat efferueſcentiam, nec ab eodem ſucco corrupto omnium morborum origo arceſſenda, uti obſeruationes clinicae atque anatomico-pathologicae confirmant.

VI. Tenuis pariter liquor, quem negat Bohnivs, in pericardio, ex cordis tranſpiratione colligitur, ut eodem pericardium intus rigetur, atque illius cum corde concretio impediatur.

VII. Tranſpirationis quoque effectus aqua, quam cerebri continent uentriculi, ac quae humectandis tunicis cerebri inſeruit.

VIII. Haec aqua, non a ruptis uaſis limphaticis plexus choroidei, uti Bohnivs ſentit, arceſſenda; talis enim ſtatus omnino praeternaturalis eſt, et hydrocephalum parit.

IX. Similis humor, perſpirationis ſubſidio

in

in peritoneo, pleura, tunica teſtium uaginali, bronchiis et aliis membranis, ad impediendam illarum concretionem et conſeruandam mobilitatem, ſeparatur.

X. Liquor, qui oculi bulbum rigat, eſt pars limphae roſcida, a ſanguine, per arterias ad palpebras, glandulam oculi innominatam et carunculam lacrymalem, delato, ſeparata, quae bulbum oculi humectando, ad motum aptiorem reddit, atque eius cum palpebris concretionem impedit.

XI. Succus iſte paulatim ad internum oculi canthum defluit, ac per puncta lacrymalia et nares ad os deſtillat, et cum ſaliua miſcetur.

XII. Si maior huius ſeri copia ſecernitur, quam ſimul et ſemel puncta lacrymalia transmittere poſſunt, oritur illius per genas deſtillatio, quam lacrymas dicimus.

XIII. Aliorum liquorum, quorum diſcrepans ab allegatis eſt indoles, explicatio adhuc reſtat; tales ſunt, cerumen aurium, pinguedo, medulla oſſium, et iuncturarum mucilago.

XIV. Cerumen aurium, eſt ſuccus pinguis, ad bilis accedens naturam, a ſanguine per apices arterioſos in meatu auditorio collocatos ſecretus, ad conſeruandum membranae, auris meatum ſuccingentis, tonum,

 et

et abarcendas iniurias externas, conſtitutus.

XV. Pinguedo, eſt pars ſanguinis oleoſa, nondum exſoluta, atque a ſanguine ſecreta, et in peculiaribus ueſiculis, quae extremitatibus arteriarum appenſae, collecta, quo frigus abarceatur, nitor et pulchritudo corpori concilietur, partes internae obſiniantur, atque ad motum habiles ſeruentur.

XVI. Medulla oſſium, eſt tenuior atque oleoſa ſanguinis pars, quae ex tomentoſis arteriolarum apicibus in oſſibus ſecreta in ueſiculis tenuibus colligitur, atque ex his per plurimos meatus in fibroſam oſſium ſubſtantiam diffunditur, ut eandem lubricam aque ad motiones aptam conſeruet, et rigiditatem nimiam, quae fracturis fauet, auertat.

XVII. Idem emolumentum, limpha illa glutinoſa, quae ex arteriis intra iuncturas locatis ſeparatur, oſſibus articulorum, ligamentis et cartilaginibus, quibus articuli obducuntur, praeſtat.

XVIII. Quam neceſſaria, quam utilis huius liquoris bene conſtituti ad facilitandum articulorum motum ſeparatio, tam pernicioſus idem acribus particulis ſcatens euadit, uti idem in arthritide, de qua §. 74. cap. VI. iam actum, obſeruamus.

Capvt XX.

DE HOMINE NASCENDO

I.

IN doctrina hominis naſcendi ad tria reſpiciendum, 1) ad foetus conceptionem, 2) ad illius nutritionem, et 3) ad partum.

II. Conceptio, eſt ouuli materni a liquore genitali maſculino foecundatio.

III. Haec foecundatio, ab aliis liquori maſculino motum rudimentis embryonis in ouulo deliteſcentibus imprimenti tribuitur; alii uero cum Leevwenhoekio, totum eumque uiuum embryonem cum ſemine maris ouulo communicari, perhibent.

IV. Semen ſexus ſequioris, conſtituunt ouula, quae uel matura, uel immatura, atque ab iis, quae ſubuentanea dicuntur, diſtinguenda.

V. Seroſus ille liquor, qui ex uagina in coitu et poſt coitum manat, non eſt uerum ſemen muliebre, ſed ſerum glutinoſum, quod ad lubricandam uaginam uteri in apicibus ibidem diſpoſitis a ſanguine ſeparatur.

VI. Idem liquor, ſi nimis uiſcidus atque acris ſit et abundet, relaxando apices uaginae uteri arterioſos, cauſam fluoris albi conſtituit.

VII. Ex hoc fundamento fluor albus catarrhus uiſcidus atque effectus ſcorbuti frigidi appellari, eaque ratione, uti §. 38. et ſequ. cap. VI. §. 116. et ſequ. cap. IX. indicatum, curari poteſt.

VIII. Eo magis huius morbi cura neceſſaria, quo magis idem conceptioni, obruendo atque implicando liquorem genitalem, officit.

IX. Nam ad foecundum coitum legitima uteri uterinaeque uaginae, et ouiductuum conſtitutio, atque ouula matura in foeminis requiruntur; mas uero non bonum modo ſemen et liquorem proſtatarum in ſufficienti quantitate habere debet, ſed debita quoque penis magnitudo et rigiditas requiritur.

X. Ouula, ſunt ueſiculae, duplici inſtructae tunica, futuri hominis ſtamina complectentes, non in utero, ex Nabothi opinione, ſed in ouariis, quae teſtes muliebres dicunt, conſtitutae.

XI. Ouaria ipſa in dextrum et ſiniſtrum diſtinguuntur, et nihil aliud ſunt, quam congeries ueſicularum racematim diſpoſitarum uteri fundo annexa.

XII. Tubae Fallopianae, quae ouiductus atque uteri cornua appellantur, ſunt duo canales neruoſi et tortuoſi, cum uteri fundo continui, cum ouariis uero laxe connexi, ouulo ad uterum ex teſtibus muliebribus deportando dicati.

XIII. Vte-

XIII. Vterus, eſt capſula muſculoſa, pyri compreſſi figuram obtinens, inter ueſicam urinariam et inteſtinum rectum ſita, foetus domicilium et ſanguinis menſtrui colatorium conſtituens.

XIV. Vagina uteri, eſt canalis muſculoſus et neruoſus, ab uteri ceruice ad muliebrem protenſus ſinum, penis et ſeminis admiſſioni, foetus uero, lochiorum et menſtruorum excretioni deſtinatus.

XV. Seminis maſculini et muci proſtatarum natura cum organis ſecretionis iam §. 2. et ſequ. cap. XVIII. expoſita, penis explicatio adhuc reſtat; eſt autem penis, fiſtula oblonga, muſculoſa, in pube ſuper ſcrotum poſita, lotii ſeminisque excretioni deſtinata.

XVI. Peculiaris et propria membro uirili, flacciditas, rigiditas, elongatio, abbreuiatio, et contractio, a duobus corporibus cauernoſis, ſeu nerueo-ſpongioſis, qui maximam mentulae partem conſtituunt, et peculiari per eosdem ſanguinis circulo, uti §. 68. cap. IV. indicatum, dependet.

XVII. Naturalis conceptionis locus, eſt uterus, quod plura probant 1) motus in coitu foecundo fortior, 2) tubarum Fallopianarum ad ouaria applicatio, 3) peculiaris ab ouulo deſcendente perceptio.

XVIII. Locus conceptionis praeternaturalis quandoque ſunt ouaria et ouiductus, ſed

illa conceptio, cum ouulum ob auctam molem non potuit deuolui, et matri et foetui fuit lethalis. (c)

XIX. Quot ouula foecundantur, tot fiunt foetus; poſſunt etiam ex uno ouulo gemelli et plures foetus prodire, ſi plura in eodem rudimenta exiſtant.

XX. Omnes corporis noſtri partes, ſunt ſpermaticae, nullae uero ſanguineae, eaeque ſimul et ſemel, non ſucceſſiue generantur, aliae uero prae aliis, cum ſint maiores, prius conſpiciuntur et diſtinguuntur.

XXI. Poſſunt gemelli et trimelli uno chorio, non uero uno amnio comprehendi, ſi hoc eueniat, monſtra generantur.

XXII. Conceptionem ſaepius mentiuntur molae, quae carnem deformem, oſſibus deſtitutam, a placenta relicta, uel ſanguine extrauaſato ortam, ac ab utero in uarias figuras compreſſam, denotat.

XXIII. Signa conceptionis ſunt, ſuppreſſus fluxus menſtruus, appetitus proſtratus, nauſea, uomitus matutinus, mammarum atque abdominis turgeſcentia, lactis in mammis praeſentia, ephelides faciei, motus embryonis; cum uero haec ſigna in ſubiectis aegrotis non grauidis occurrant, et conceptionem ſaepe mentiantur, ad faciei colorem et reli-

(c) uid. Abbas de la Roque Iournal. de Medic. no. 1. et Tranſact. Philoſ. Anglic. 147.

reliquarum partium conſtitutionem et functiones reſpiciendum.

XXIV. Foetui intima cum utero per placentam intercedit connexio; placenta uterina nihil aliud eſt, quam congeries fibrarum carnearum chorii, et propaginum arteriarum uenaeque umbilicalis, orbiculatim in exteriore foetus tunica concurrentium, quae tubulis uteri inſertae foetum cum utero coniungunt.

XXV. Vaſa foetus umbilicalia duae arteriae ex iliacis progredientes, et ſanguinem ex foetu ad placentam deriuantes, atque una uena, quae ſanguinem reſiduum ex placenta ad foetum reducit.

XXVI. His uaſis addendus urachus, chorda neruoſa, ex ueſica ad umbilicum extenſa, et ligamenti inſtar ſolida, rariſſime in homine peruia.

XXVII. Ex duabus arteriis, una uena et uracho, funiculi modo contortis, funiculus umbilicalis conſtat, qui ligatus et reſectus cum cute et peritoneo coaleſcit, atque umbilicum conſtituit.

XXVIII. Duae adhuc membranae foetum ambientes reſtant, interior, quae amnion dicitur, et limpham foetus nutriciam complectitur; exterior chorion appellata, quae ex pluribus lamellis compoſita, laciniatas radices uteri tubulis inſerit, et per easdem ſuccum nutricium recipit; his tertia allantoidea

ſeu

ſeu ſarciminalis, ab aliis additur, quam lotio per urachum adducto recipiendo inſeruire, perhibent.

XXIX. Foetus non per uaſa umbilicalia ſuum recipit nutrimentum, ſed per os ſolummodo nutritur; hoc confirmant ſequentia, 1) ouulum in principio penitus liberum nullamque cum utero habens connexionem; 2) ſimilis liquoris in uentriculo embryonis praeſentia, qualis in cauitate amnii reperitur; 3) ſanguinis in principio conceptionis abſentia et ſolius limphae praeſentia.

XXX. Ita praecipue, quod ultimo indicatum loco, ſtatim a conceptione ſanguis rubicundus in embryone non inuenitur, ſed limpha duntaxat comparet, quae continuata aliquandiu circulatione, paulatim ruborem induit, et illum, quem a purpura ſanguinem dicimus, humorem oſtendit.

XXXI. Limpha foetus nutricia continuo in utero ſeparata et in cauitatem amnii deducta, niſu et motu uiſcerum abdominis, leni preſſione in leuiter patulum infantis os adigitur, et per reliquam uiam ad cor deriuatur, quo inchoata ſanguinis circulatio conſeruetur, et huius ſubſidio quaeuis partes, per communicatum ſuccum nutricium, debitum acquirant incrementum.

XXXII. Foetus in utero non reſpirat, uti iam §. 4. cap. XI. probatum; atque ob defectum

fectum reſpirationis, peculiaris quoque circulus ſanguinis in embryone, qui §. 6. et 7. cap. XI. explicatus, obſeruatur.

XXXIII. Vterina igitur placenta munus pulmonum non ſuſtinet, atque illud penitus a ſtructura huius partis abhorret.

XXXIV. Foetus in utero nec mingit, nec aluum deponit, niſi conuulſionibus affectus in utero perierit.

XXXV. Liquoris, qui in cauitate amnii inuenitur, origo, non ex glandulis ſaliualibus, neque ex mamillis, uel poris cutis, multo minus ex ueſica urinaria deriuanda.

XXXVI. Foetus propriam quidem uitam habet, dependet tamen eadem in tantum a uita matris, in quantum ab eadem ſuccum nutricium et habitaculum accipit.

XXXVII. Nec aliunde, quam a commotione atque alteratione fortiore ſuccorum matris uitalium, affectus, quos in foetu pathemata animi matris producunt, deriuandi.

XXXVIII. Foetus iuſtum nactus incrementum, deſcendente, ob relaxata nimium ligamenta, utero, ſitum ſuum mutat, et capite ſphaeroideo et grauiore uerſus inferiora prouoluitur, et uteri incumbens ceruici, pedibus uerſus fundum exporrectis, contractionem fibrarum orbicularium in fundo uteri conſtitutarum auget, quo facto, matricis orificium reſera-

reſeratur, et mucus cum pauxillo ſanguinis excretus, tempus partus adeſſe, indicat.

XXXIX. Partus, eſt foetus maturi et perfecti ex utero per uaginam excluſio,

XL. Abortus e contra, eſt praematura embryonis imperfecti, et maximam partem mortui per eandem uiam reiectio.

XLI. Partus caeſareus, eſt foetus ex utero matris, ſiue mortuae, ſiue uiuae, per abdominis atque uteri ſectionem, extractio.

XLII. Quoduis animal, homo etiam, licet diſſentiat Ariſtoteles, certum pariendi tempus habet.

XLIII. Tempus legitimum partus humani, eſt finis noni menſis, uel principium decimi; reliqui partus, qui ſupra uel infra illum terminum eueniunt, uel ſpurii, uel praeternaturales ſunt.

XLIV. Cauſae partus in efficientes atque impulſiuas diſtinguuntur; efficientes, ſunt actio reciproca matris et foetus.

XLV. Cauſarum impulſiuarum plures a uariis autoribus allegantur; a defectu alimenti alii, alii a ſuccorum acrimonia; multi a deſiderio reſpirationis, multi a fecum copia et ſtimulo; nonnulli ab aucta corporis mole, quidam ab anima easdem arceſſunt; ſed uti nonnullae inter cauſas allegatas abortum interdum procurant, ita multae penitus fictae ſunt.

XLVI. Di-

XLVI. Signa partus inſtantis ſunt ſequentia, 1) dolores, ubi ueri a ſpuriis diſtinguendi, 2) teneſmus ani et ueſicae, 3) artuum cumprimis femorum et crurum tremor, 4) orificium uteri reſeratum, 5) muci ſanguine tincti effluxus, 6) aquarum excretio, 7) foetus cum uertice in uteri orificio praeſentia.

XLVII. Mucus et liquor aquoſus, qui ex diſruptis foetus membranis effluit, lubricando uaginam, per quam foetus tranſit, excluſionem eius haud parum adiuuat.

XLVIII. Optime uero partus ſuccedit, ſi foetus legitimum obtinet ſitum, et tum ille, tum mater ſufficientibus gaudent uiribus.

XLIX. Foetus maximam partem nudus atque a membranis, quibus cingebatur, liberatus in hunc mundum egreditur, et raro euenit, quod obſeruauit Harvaevs, ut foetus membranis ſuis adhuc integris incluſus in hanc prodeat lucem.

L. Edito foetu, ſequuntur ſecundinae et lochia, quibus remotis, uterus ad naturalem ſtatum redit.

LI. Placenta et membranae foetus cum funiculo umbilicali, quia poſt foetum, ſecundo quaſi partu excluduntur, ſecundinae uulgo dicuntur.

LII. Lochia denotant ſerum plus minus cruentum, loturae carnium plerumque ſimile, quod poſt partum, continuata uteri contractio-

ctione, ex tubulis et cryptis uteri, placentae a-uulſione plus minus uulneratis exprimitur.

LIII. Haec excretio nunc parcior, nunc copioſior eſt, iam breui ceſſat, iam diutius protrahitur; modo liquor excretus ſanguinem refert, modo idem ualde ſeroſus eſt; atque haec omnia a uarietate partus uariaque placentae ſeparatione et uteri laeſione dependent.

LIV. In partu nullum os, praeterquam os coccygis deducitur, atque extrorſum flectitur.

LV. Poſt partum abdomen puerperae conuenientibus faſciis colligandum, et iniuncta corporis mentisque quiete, remedia uulneraria et temperantia, tum ad conſolidationem, tum ad expurgationem uteri, conueniunt.

LVI. In infante autem ſordes conuenientis ſubſidio balnei abſtergendae, pori aperiendi, fecum excretio, ope ſyrupi de cichoreo cum rhabarbaro, promouenda.

LVII. Reſtant adhuc nonnulli genitalium morbi, qui partim ſterilitatis et partus difficilis cauſam conſtituunt, partim uiolentam foetus et ſecundinarum extractionem ſequuntur; alii eorum ad mares, alii ad foeminas pertinent; uiris proprii ſunt phimoſis, paraphimoſis, laeſa penis erectio, ſatyriaſis,

riaſis, priapiſmus; de gonorrhoea et lue uenerea in antecedentibus iam actum.

LVIII. Phimoſis nimis anguſtum ſtrictumque praeputium denotat, ita ut glandem nudare, et membrum libere erigere nequeant, ſed erectio cum aliquali incuruatione coniuncta moleſti coitus cauſam conſtituat. Hoc malum ſectione praeputii transuerſim facta ſoluitur.

LIX. Paraphimoſis denotat praeputium peni circumcirca accretum, ita, ut nec antrorſum, nec retrorſum trahi queat. Cataplaſmata et fotus emollientes, qui hic commendantur, parum praeſtant, nec ad curam perfectam ſufficiunt.

LX. In laeſa penis erectione, ubi membrum praeter naturae atque aetatis ordinem, praeſentibus ueneris illecebris, languet, cauſarum habenda ratio; et ſi malum haereditarium, nihil omnino ſuſcipiendum; ſi uero a mala corporis conſtitutione, eadem emendanda; deficiens ſemen, iis, quae cap. XVIII. commendata, reparandum, atque iis, qui diu a uenere abſtinuerunt, frequens cum puellis pulchris conſuetudo prodeſt; iis econtra, qui nimio ueneris exercitio, hoc malum contraxerunt, uictus large nutriens conuenit.

LXI. Satyriaſis, eſt continua penis erectio et palpitatio, cum multa libidinis opi-

nione, ab acribus, corporibus nerueo ſpongioſis inhaerentibus excitata; cura igitur per nitrata, terrea, acidula et ſeroſa, corrigendo acrimoniam, abſoluenda.

LXII. Priapiſmus, eſt ſpaſmus ſeu rigiditas penis, cum dolore, ſine ueneris deſiderio, a nimia ſuccorum copia et ui elaſtica dependens; in abundantia ſuccorum, prodeſt uena penis pertuſa, et ſanguis euacuatus; in acrimonia et turgeſcentia fotus emollientes et diſcutientes applicandi.

XLIII. His enodatis, paucis quosdam uteri affectus explicabimus, quorum ſufficiens deſcriptio in antecedentibus non ſuppeditata; primum occurrit paſſio hyſterica, quae non uteri ſaltem, ſed aliarum quoque abdominis partium ſpaſmum ulterius progredientem, ac cumprimis ſuffocationis periculum inducentem ſignificat.

LXIV. In paroxyſmo laborandum, ut per uolatilia interne atque externe adhibita, per uenae ſectionem et coitum, aegrotam reſtituamus; hoc facto, primae uiae expurgandae, maſſa ſanguinea corrigenda, et ſi obſtructio menſium, uel alius morbus in culpa eſt, ille appropriatis remediis tollendus.

LXV. Prolapſus uteri, denotat illius in ſinum muliebrem deſcenſum, ita ut extra

puden-

pudenda promineat, et fundus eius digitis attrectari poſſit.

LXVI. Vterus prolapſus illico reponendus, repoſitus decocto ligni quaiaci, radicis tormentillae, biſtortae, foliorum quercus, fouendus, atque iniuncta quiete, in ſitu ſuo retinendus.

LXVII. Sterilitas, eſt abolita uis concipiendi et generandi, a uitiis genitalium dependens.

LXVIII. Cauſae ſterilitatis uariae iam cap. XIIX. et in praeſente §. 6. et ſeqq. cum methodo medendi adductae, aliae uero incurabiles ſunt, nempe ouulorum defectus, tubarum Fallopianarum coalitus; aliae autem curabiles, ita uagina uteri clauſa ſecanda, nimis arcta ſucceſſiua penis admiſſione et fotuum emollientium applicatione dilatanda; uterus uiſcoſa materia refertus expurgandus, nimis aridus ſeroſis humectandus.

LXIX. Nulla dantur uenena ſterilitatem inducentia abſolute talia; nec proſtant remedia ſpecifica fertilitatem in omnibus promiſcue procurantia.

LXX. Partus difficilis, eſt foetus maturi cum magno labore, dolore et ſymptomatibus periculoſis excluſio, uel matris, uel foetus culpa excitata.

LXXI. Iam culpa retardati et difficilis partus in malo infantis ſitu, qui manuum ſubſidio mutandus, conſiſtit; iam idem a genitalium ariditate et contractione, ubi emollientia uſurpanda, iam a fibrarum laxitate et defectu ſtimuli, ubi uolatilia, ſic dicta uterina, conueniunt, iam a ſanguinis abundantia, ubi uenae ſectio prodeſt, dependet.

LXXII. Rupudianda igitur ſpecifica uterina, atque idem ſentiendum de aliis, quae ad uterum referuntur, de emmenagogis nempe, de quibus iam §. 20. et ſeq. cap. XVII. actum, de ariſtolochicis, quae fluxum lochiorum debent promouere, et de ecbolicis atque abortiuis, quae fœtum aliaque uteri contenta expellunt.

INDEX

RERVM ET VERBORVM

Abdominis diſtributio 18. 19. 20
bortus, quid? 366
egylops. 266
er, eius grauitas et uis elaſtica. 292
eſtus in febribus cauſa. 149. 150. et ſequ.
grypnia. 234 et ſequ.
lcali, febrium continuarum materia. 142. 143
limentorum uis. 29 34
lopecia. 307
lphus. 306
lterantia. 41. et ſequ. 110. et ſequ.
lui obſtructio. 62
mnion et illius ſuccus. 363. 364. 365
Analeptica. 219. 220
Anaſarca. 207
Anginae ſpecies, cauſa et cura. 286. 287
Anima, huius ſedes et propagatio. 12 13. 14
Anodyna. 243
Anorexia. 36
Antepileptia ſpecifica. 272
Anthelmintica 65 et 66
Anthropologia, huius obiectum. 11. 12
Antiſcorbutica ſpecifica. 27
Antiſpaſmodica. 227
Apepſia, quid? 38
Apoplexia. 228. 229
Apthae. 283
Ardor uentriculi. 39
Argemon. 267

Aromatica noxia. 119
Arſenicum, febrifugum minus tutum. 154
Arteria aorta et pulmonalis. 104
Arthritis, quid? 164 huius cauſa et cura. 177. et ſeq.
Artus et eorum diſtinctio. 15. 21
Aſcites, quid? 207
Aſphyxia, quid? 128
Aſpera arteria. 291
Aſthma, quid? 299
Atheroma, quid? 187
Auris internae atque externae ſtructura. 250. et ſequ.
Aurium tinnitus. 275 276

B.

Baryoia, quid? 274. 275
Baſilius Valentinus, Chymicus. 6
Bilis hepaticae et cyſticae differentia. 329
Bilis, quid? 328
Bilis regurgitatio. 335
Bilis ſecretae uia. 33
Bilis ſecretio. 32 et ſequ
Bilis uſus. 330.33
Botryon. 26
Bradypepſia, quid? 3
Bulimia, quid? 3

C.

Cachexia, quid? 16
Cacochymia, quid? 2
Calculi cura. 342.34
Caluities. 30
Canalis alimentorum 30. 51. 5
Cancer narium. 28
- oculorum. 26
Cancer, quid? huiu cauſa et cura. 19 191. 199. 20
Capitis dolor, quot plex? 1
Cardiaca, quae et qu lia? 119. et ſeq
Cardialgia, quid? 3
Carminatiuum 6 et ſeq
Carotis arteria lapide 21
Carus, quid? 23
Cataphora, quid? 22 23

Catalepſis. 238
Cataracta, quid? 269. 270
Catarrhus 239. 240
- ſuffocatiuus 298
Cauſa proxima antecedens, manifeſta, quid? 141
Cauſa proxima et materialis febrium. 142
Cauſus, quid? 136
Cephalica. 220. 221
Cerebellum. 214. 215
Cerebrum, quid? 213. 214
Cerumen aurium. 357
Chin-China noxium remedium. 153. 154
Cholagoga. 82 et ſequ.
Cholera humida. 38. 39
- ſicca. 39
Chorea ſ. Viti. 232
Chylificatio, quid? 30 et ſequ.
Chyli ſecretio. 53
- ad ſanguinem uia. 56. et ſequ.
Chylus, quid? 28
Chymiae inuentores. 5
Chymicae ſectae uariae. 7. 8
Chymici antiquiores. 6
Circuli ſanguinis uitia. 126
Circulus ſanguinis actuat medicamenta. 118
Circulus ſanguinis in embryone peculiaris. 289. 290
Circulus ſanguinis in pene et cerebro peculiaris. 105. 106
Clyſteres uarii. 64. 65
Colica, quid? 20. 61
Colicae antidota. 89
Coli inteſtini anfractus. 20. 21
Collum, quid? 16
Colores, quid? 257
Coma, quid? 229
Compreſſionis cauſae. 182
Conceptionis locus. 361
Conceptionis ſigna. 362. 363
Conceptio, quid? 359
Contractionis cauſae. 182
Contraindicans. 117

Conuulſionis cauſa et cura. 224. et ſequ.
Conuulſio, quid? 222 223
Cordis robur, ſanitatis fundamentum. 119
Cordis ſyſtole, diaſtole et periſyſtole. 101
Cordis uaſa. 102.103
Cordis uentriculi atque auriculae. 100
Corpus humanum, quid? 12. et 13.
Coryza, quid et quotuplex? 276.277
Coſmeticorum detrimentum. 307
Coſſum, quid? 280
Craſſitiei internae cauſae. 182
Craſſities tunicae corneae. 268
Cruditas, quid? 26
Cutis, quid? 302
Cynorexia, quid? 37

D.

Deglutitionis impedimenta. 32
Deglutitio, quid? 32
Dentium dolor. 281
Dentium utilitas. 3
31. 3
Diabetes, quid? 34
34
Diagnoſis, quid? 14
Diaphoretica, quae
quotuplicia? 30
et ſequ
Diarrhoea, quid? 6
Diarrhoeae et dyſente
riae cura 90.91.9
Diuretica, quae et qua
lia? 342. et ſequ
Doloris cauſa et med
la. 240.241. et ſequ
Ductus thoracicus 5
5
Dyſcraſia, quid? 2
Dyſcraſiae uariae ſ
gna et remedia 2
109.110. et ſequ
Dyſenteria, quid? 6
Dyſorexia. 3
Dyſpepſia. 3
Dyſpnoea, quid? 29
Dyſuria, quid? 34

E.

Ecclipſis, quid? 12
Eccoprotica, 69.75.7
Echo, quid? 25
El

Elephantiaſis, quid? 162. medela. 170
Emetica, quae et qualia? 43. 44
Emetici indicantia. 43 151
Emmenagoga. 349. 350
Emproſthotonus. 224
Epicauma. 267
Epididymides. 351
Epigaſtrium. 19
Epilepſia. 223
Epiphora. 268
Epulis. 282
Errhina. 277
Eryſipelas, quid? 186
Euacuantia uniuerſalia et particularia. 26
Experientia. 2. 10
Exſpiratio. 291

F.

Febres, morbus uniuerſalis. 14. 15
Febrifuga ſpecifica nulla. 145. 146. 155
Febrium cura rationalis. 147. et ſequ.
Febrium intermittentium et continuarum uariae ſpecies et cura. 129. et ſeq. 156. et ſequ.
Febrium optimum remedium, perſpiratio. 149. 150
Febrium origo uaria. 143. 144
Fiſtula lacrymalis. 266
Fluidae partes. 22
Fluidorum uitia. 23
Fluor albus. 359. 360
Fluxus menſtrui cauſa. 346
Fluxus menſtrui nimii cauſae et cura. 348
Fluxus menſtrui organum ſecretorium. 347
Fluxus menſtrui principium et finis. 347
Fluxus menſtrui ſuppreſſi cauſae et remedia. 348
Fluxus menſtruus, cur in grauidis ceſſet? 347
Foetus in uero non reſpirat. 288. 289
Foetus in utero nutritio. 363
Foetus tunicae. 364
Funiculus umbilicalis. 363

G.

Ganglion, quid? 188
Gangraenae ſigna. 189
cura. 198. 199
Gelatina, corporis nutrimentum. 314
Glandulae conglobatae, quid? 204
Glandulae meſeraicae. 57
Glandulae mucilaginoſae artuum. 21
Glandulae proſtatae. 352
Glandulae ſubcutaneae nullae. 302
Gonorrhoea ſimplex et uirulenta. 353
Gonorrhoeae utriusque cura. 354. 355
Guſtus. 248
Gutta roſacea. 305

H.

Haemoptyſis. 297
Haemorrhoides coecae. 62
- fluentes. 61
Hectica. 137
Hepaticus fluxus. 61
Hepatis fabrica et uſus. 328. 329
Hepatitis et eius cura. 335
Hernia. 62. 63
Herpes et eius ſpecies. 306
Hydragoga. 79. et ſequ.
Hydrocardia. 207
Hydrocele. 207
Hydrophobia. 231
Hydrophthalmia. 267
Hydromphalus. 202
Hydropis cauſae et remedia. 208. et ſequ.
Hydrops, quid? et quotuplex? 207
Hylus. 269
Hypnotica. 243. 261. et ſequ.
Hypochondriacum malum, aſylum ignorantiae. 19
Hypochondria, quid? 19
Hypochyma. 269

I.

Icteri cauſa et cura. 165. et ſequ.

Icteri

Icteri origo non ſemper ab hepate. 334
Icterus, quid? 161. 162
Iliaca paſſio. 61. 62
Impuritas, quotuplex. 26
Incontinentia urinae. 342
Incubus. 299
Indicans, quid? 117
Indicatio, quid? 117
Indicatum, quid? 117
Inflammatio, quid? huius cauſae et ſigna. 183. et ſequ.
Inflammationis cura. 194. 195
Inſpiratio, quid? 290
Intellectus, quid? 259
Intemperies, quotuplex? 26
Inteſtina tenuia et craſſa. 52. et ſequ.
InuentoresMedicinae. 1
Ipecacoannha, lene et tutum emeticum. 45
Iſchuria. 341. 342

L.

Lac matris infanti conuenientisſimum. 342. 325
Lac, non ipſe chylus. 322. 323
Lac, quibus conducat. 320
Lactis boni et corrupti notae. 325. 326
Lactis deficientis cauſae et remedia. 327. 328
Lactis ſecretio. 322
Lacrymae, quid? 357
Laxum et ſtrictum Methodicorum. 22
Lentigines. 304
Lethargus, quid? 230
Leucoma. 267
Leucophlegmatiae cauſa et cura. 168. 169
Lienis uſus. 333. 334
Lien, quid? 332. 333
Lienteria. 38
Limphae gaſtricae ſecretio et uſus. 50
Limphae morbi. 205. 206
Limphae ſecretio, uſus et uia. 201. 204. 205
Limphae uaria nomina. 202. 203

Limpha, maxima ſanguinis pars. 97
Limphatica uaſa, quotuplicia. 203. 204
Lipothymia. 128
Liquor oculos rigans. 357
Lithiaſis, quid? 341
Lithontriptica, an dentur? 342
Lochia, quid? 367. 368
Loquelae cauſa et inſtrumenta. 260
Loquela, quid? 259. 260
Lues uenerea. 163
Luis uenereae cura. 171. et ſequ.
Lumbi, quid? 20

M.

Maculae hepaticae. 305
Maculae infantum uolaticae. 305. 306
Malacia, quid? 37
Mammae. 323. 324
Medicinae origo, deſcriptio et diſtinctio. 1. 9. 10
Medulla. 358
Medulla oblongata. 152
Melanagoga. 87. 88
Melancholia. 231
Meliceris, quid? 187
Mercurialia, uiſcidi remedia 171
Mercurius uitae, mercurius mortis. 46
Meſenterii fabrica et uſus. 56. 57
Methodus praeſeruatoria, et curatoria. 9
Mictus cruentus. 341
Mola, quid? 362
Monoſitia, quibus conveniat? 35
Morbilli. 136
Morbi mentis, unde? 14
Morbi organici et humorales, qui? 23
Morborum tempora quatuor. 147
Morbus criticus, idiopathicus, ſympathicus et ſymptomaticus. 40
Morbus endemius, epidemius, ſporadicus. 139
Motus periſtalticus. 55

Motus tonicus, quid? 217
Mucilago iuncturarum. 358
Mucus glandularum proſtatarum. 351
Muſculi ani tres. 53
Mydriaſis. 265
Mylon. 269
Myocephalum. 268
Myopia. 265

N.

Naeui materni. 305
Narcotica. 243 244. 263
Nauſea, quid? 38
Nebula oculi. 268
Nephritis, quid? 341
Neruei liquoris exiſtentia et principia. 211. 212. 213
Nerui, quid? 218
Nerui ſenſus et motus inſtrumenta. 211
Neruus acuſticus. 252
Nutricius ſuccus. 313 314
Nutritionis nimiae incommoda et remedia. 316. 317
Nutritionis ſubiectum 315
Nutritionis uariae, multiplices cauſae. 314. 315
Nutritio, quid? 313
Nyctalopia. 264

O.

Obſtructionis cauſa et cura. 191. 192
Obſtructio, quid? 180 181
Oculorum partes communes et propriae. 254. 255
Oculus camerae obſcurae ſimilis. 256
Odontalgia. 289
Oeſophagi nouus morbus. 18
Oeſophagi per medidium diſruptio. 18
Oeſophagus, quid? 33
Olfactus. 249
Ophiaſis. 307
Opthalmica. 266
Opthalmia. 270 et ſequ.
Opiſthotonus. 232
Orthopnoea, quid. 299
Otalgiae cauſa et cura. 273. 274

Ouaria, quid? 360
Ouula, quid? 359. 306
Oxyſachara emetica. 45
Ozaena. 279

P.

Panacea non datur. 116
Panchymagoga. 88. 89
Pancreas. 355. 356
Pancreas Aſellii. 57
Pannus. 267. 305
Paralyſis. 236
Paralyſis colli. 286
Paralyſis linguae. 284
Paraphimoſis. 369
Paraphrenitis. 232. 233
Paregorica. 243
Parotis. 273
Partes ſolidae et fluidae. 15
Partus caeſareus. 366
Partus cauſae. 366
Partus, quid? 366
- ſigna. 367
- tempus. 366
Parulis. 282
Penis laeſa erectio. 369
Pericardii limpha. 356
Peripneumonia. 269
Perſpiratio pulmonum. 294
Peſtis. 137
Petechiae. 136
Phimoſis. 369
Phlegmagoga. 77 et ſequ.
Phrenitis. 232. 233
Phtiſis pulmonalis. 298
Pica, quid? 37
Pili, quid? 302
Pinguedo. 358
Placenta uteri. 363
Plethora. 23. 24. 26
Pleuritis. 269
Plica Polonica. 162. 169. 170
Pollutio nocturna. 353
Polypus narium. 279. 280
Priapiſmus. 369
Procidentia palati. 286
Procidentia oculorum 268. uteri. 370. 371
Ptarmaca. 277
Pterygium. 266
Pueri recens nati remedia. 368
Puerperae remedia. 368
Pulmo. 291

Pulſus cordis et arteriarum. 105
Purgantia uaria. 69 et ſequ.
Purgationis indicantia. 27. 70
Purgationis tempeſtiuae emolumentum. 59. 60
Purpura. 135
Pyoſis. 267
R.
Rachitis, quid? 317. 318
Ranula. 284
Ratio, quid? 10. 11
Raucedo. 288
Regio epigaſtrica. 19
- hypogaſtrica. 20
- umbilicalis. 19
Remediorum tria ſumma genera. 25
Renes, quid? 337. 338
Renum peluis. 338
Reparantia, quid et quotuplicia? 25. 26.
Reſpiratio, quid? 288
Reſpirationis organa. 290. 291
Reſpirationis uſus. 289 292
Rhyas. 266
S.
Saliuae qualitas et uis. 51
Saliuatio. 171
Sanguificationis cauſa. 94. 95
Sanguinis circuli inuentores. 98
Sanguinis circulus. 98
Sanguinis circulus maior, minor et minimus. 99
Sanguinis motus inteſtinus. 98
Sanguinis partes inconſpicuae. 96
Sanguinis partes manifeſtae. 96
Sanguis menſtruus uenenatus, et non uenenatus. 345
Sanguis, quid? 93. 98
Sarcoma narium. 279. 280
Satyriaſis. 369
Scabiei cura. 173
Scabies, quid et quotuplex? 163
Scirrhus, quid? 187. huius cura. 193. 194
Scorbuti cura. 164

Scorbutus, quid et quotuplex? 160.161
Sectae Medicorum uariae. 3. et ſeqq.
Secundinae. 367
Seminis ſecretio, uia et uſus. 352
Semen, quid? 350
Senſus externi nulli. 245
Senſus obiecta. 246. et ſequ.
Senſus organa. 244. et ſequ.
Senſus, quid? 245
Senſus uarietas, unde? 247
Singultus. 300
Solidae partes. 22
Somnus. 261
Somnus auget nutritionem. 316. et ſequ.
Spaſmi colli. 286
Spaſmorum cauſa et cura. 227. 228
Spaſmus, quid? 223
Spermatopaea. 325. 353
Sphacelus. 189 huius remedium. 199
Spiritus uini, quibus conducat. 35
Staphyloma. 269
Steatoma. 187
Stomachica. 35. 36
Stranguria, quid? 341
Strumae ſeu ſcrophulae. 188
Succus nerueus nutrit quoque. 316
Succus pancreaticus. 355
Sudor colliquatiuus. 303
Sudorifera, quae et qualia? 308
Sudor ſanguineus, unde? 301
Sugillatio. 267
Suppuratio. 189. huius medela. 195. et ſequ.
Sympathia, quotuplex? 40
Synochus putris et imputris. 138
Syrupi emetici uariorum. 45

T.

Tabes cordis, quid? 128
Tabis cauſa et cura. 316. et ſequ.

Tachenii principia. 7
Tactus. 247
Tarantiſmus. 231
Tartarus emeticus. 45. 46
Temperamentum, quid? 107
Teneſmus, quid? 62
Teſticuli. 351
Tetanus, quid? 223
Theoriae ſolidae character. 11
Thoracica, quae et qualia? 294. 295
Tonſillarum morbi. 285
Tranſpiratio. 301. et ſequ.
Tranſpirationis cauſa et uſus. 303. 304
Tranſpirationis indicans. 27
Truncus hominis, quid? 15
Tubae Fallopianae. 360
Tuſſis. 299
Tympanites. 207
Tympanum auris. 251
Tympani læſiones. 257

V.

Valuulae uenarum. 105
Variolae. 135. 136
Vari, quid? 305
Vaſa lactea. 83. et ſequ.
Vaſa umbilicalia. 363
Vas deferens. 357
Venae, quid? 104
Venae ſectio, quando conducat. 147. et ſequ.
Vena portae. 330
Veneris deſiderium. 258
Ventriculus non eſt omnis morbi ſedes. 33. 143
Ventriculus, quid? 33
Ventriculus robuſtus, optimum ſanitatis fundamentum. 34
Verrucoſitas narium. 280
Vertigo. 236
Veſica fellea. 329
Veſica urinaria. 338. 339
Veſiculae ſeminales. 351 352
Vigiliae impediunt nutritionem. 316

Vigi-

1864-21

Vigiliae, quid? 260
Vinum emeticum. 45
Viſciditatis cauſae. 182. 183
Viſio, quomodo fiat? 256
Viſus, 255.256 257
Vitriolica emetica. 46. 47
Volatilia in aeſtu fugienda. 150
Voluntas. 259
Vomica pulmonum. 297. 298
Vomica, quid? 297
Vomitus lotii. 49
Vomitus medela. 48
49
Vomitus, quid? 38
Vrachus. 363
Vreteres. 338
Vrinae color, quantitas et qualitas uaria, unde? 339. 340
Vrinae ſecretio. 336. et ſequ.
Vrinae uberioris cauſa. 337
Vrina infidum ſignum. 340
Vrina ſanguinis et potus. 337
Vteri uagina. 361
Vterus. 361
Vuulae morbi, 288